



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

Libri Secundi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

tur. Et C. 2. „ Si ex tribus Arbitris à par-
 „ tibus electis unus legitimè requisitus ab
 „ aliis ad examinandum & definiendum
 „ negotium cessante impedimento legiti-
 „ mo non convenerit, duo præsentés pos-
 „ sunt dictum examinare & definire nego-
 „ tium, sicut possent illo præsenté nec vo-
 „ lente cum eis concordare. Circa Judices
 verò antiqua jura Pontifex non vult im-
 mutari. Disp. est inter Judices & Arbitros,
 quia Jus Canonicum h. c. supplet arbi-
 trium tertii, ut lites celerius finiantur; non
 autem votum tertii Judicis delegati: hinc
 alii duo sine ipso procedere non possunt,
 si facta sit delegatio absque clausula: *Si
 non omnes, &c.* uti nec jure civili duo ar-
 bitri tertio absente, quod in foro sæculari
 servandum est.

LIBER SECUNDUS Decretalium.

TITULUS I.

De Judiciis.

I. JUDICIUM in præsentí est ipse processus,
 seu legitima Causæ inter Actorem &
 Reum controversæ coram Judice
 disceptatio, discussio & dijudicatio. Unde

L 3

ad

ad iudicium contentiosum requiruntur tres personæ, vel verè, vel fictè, videlicet Actor, Reus & Judex. *Actor* est, qui prior ad iudicium provocat, & alteri actionem intentat; vel civilem ad suum interese privatam; vel criminalem ob interese publicum ad vindictam, ut nimirum iuxta Leges crimen puniatur pœnâ corporali, vel pecuniariâ Fisco adjudicandâ, aut etiam privatione Officii vel Dignitatis, diciturque Accusator. *Reus* est, qui ab Actore in ius vocatur, & se contra illum defendit. *Judex* est, qui præest iudicio, inter litigantes jus dicit, seu rem controversam iuxta præscriptum Legis definit. Dixi, *vel verè, vel fictè*; quia, quando Judex ex officio inquit super notorio crimine, fama fictione juris supplet vicem Actoris, & Reus est persona ignota perquisitionem certificanda.

2. Variè dividitur iudicium: 1. *Relatione cause efficientis* in Ecclesiasticum quod instituitur à Iudice Ecclesiastico quotali circa personas Ecclesiasticas aut causas Ecclesiasticas vel his annexas: & sæculare, quod expeditur à Iudice sæculari quotali circa causas sæculares & inter laicos, vel saltem si Reus sit Laicus. 2. *Relatione materiae*, in Civile & Criminale per qualitatem actionis intentatæ. Item in per-

torium, quando disceptatur super jure aliquo *in re vel ad rem* competente: & possessorium, in quo non de proprietate, sed de possessione vel quasi possessione adipiscenda, retinenda aut recuperanda agitur. 3.^o *Ratione Formæ* in plenarium seu solemne, in quo servantur apices juris positivi, ut sunt oblatio libelli, litis contestatio, tempus feriarum, dilationes, exceptiones testium, prolatio sententiæ Judice sedente &c. quæ sine iis est nulla: & summarium, in quo de plano sine strepitu & dictis solemnitatibus, inspectâ solâ facti veritate, levato, ut dici solet, velo, proceditur; in quo tamen ea, quæ jure naturali, Divino aut Gentium requiruntur, omitti non debent, ut sunt citatio Rei, (quia de jure naturali contra inauditam partem non potest definiri, nisi in notoriis) probationes necessariæ, defensiones legitimæ, præstatio juramenti calumniæ & malitiæ, appellatio legitima, &c. sed tantum ea, quæ celerem judicii expeditionem morari solent. Circa singula h.t. statuitur:

3. I. *In Decret. c. 2.* „Decernimus, ut
 „laici Ecclesiastica terminare negotia non
 „præsumant, & Ecclesiarum Prælati laicorum
 „judicio de negotiis Ecclesiasticis
 „non disponant. Possunt tamen laici in
 „Consistoriis Ecclesiasticis adhiberi tan-

quam Assessores, ut passim fieri videmus, quorum consilio in causis terminandis Judex Ecclesiasticus uti potest, eorum tamen iudicium sequi non tenetur. C. 3.

„Causæ Patronatûs Ecclesiarum ita jun-
 „ctæ sunt & connexæ Ecclesiasticis causis,
 „quòd non nisi Ecclesiastico iudicio va-
 „leant definiri. Verùm quamvis Judex
 sæcularis non possit per se ac principaliter
 iudicare de Jurepatronatûs, potest tamen
 accessoriè & secundariò, v.g. adjudicando
 emptori caltrum venditum, unà cum
 omnibus juribus annexis etiam Jure-
 patronatûs; ast de hoc nec in libello, nec
 in sententia debet fieri expressa mentio,
 ut notat Pirrh. *h. t. n. 53.*

4. C. 4. Si Clerici coram Iudice sæcu-
 lari convicti fuerint vel confessi de crimi-
 ne, non propter hoc ab Episcopo suo ali-
 quâ sententiâ sunt condemnandi; sicut
 enim sententia à non suo Iudice lata non
 tenet, ita nec confessio coram ipso facta.
 C. 8. „Cum Imp. dicat, quòd Leges non
 „dedignantur sacros Canones imitari, in
 „quibus generaliter traditur, ut de omni
 „crimine Clericus debeat coram Eccle-
 „siastico Iudice conveniri, non debet ex
 „hac parte ob aliquam consuetudinem
 „præjudicium generari. C. 10. Clericus
 „in furto, homicidio, vel perjurio, seu alio

„mortali crimine deprehensus & con-
 „victus, est ab Ecclesiastico Judice de-
 „ponendus; qui, si depositus, incorrigi-
 „bilis fuerit, excommunicari debet; dein-
 „de contumaciâ crescente anathematis
 „mucrone feriri; postmodum verò, si in
 „profundum malorum veniens contem-
 „pserit, per sæcularem comprimendus est
 „potestatem; putà, ut per eam legitima
 pœna ipsi inferatur. Per Anathematis mu-
 cronem hîc intelligitur excommunicatio
 sollemnis, quæ fit cum certis cæremoniis,
 v.g. ab Episcopo in præsentia duodecim
 Sacerdotum tenentium candelas accen-
 sas, quas in conclusione anathematis pro-
 jiciunt in terram, pedibus conculcant,
 campanæ pulsantur, & Crux nigro velo
 cooperitur, &c. Ob hoc Cap. probabilius
 docent DD. tanquam juri magis confor-
 me, quòd Clericus ob nullum crimen, licet
 gravissimum, possit realiter degradari,
 & Curiaæ sæculari tradi, nisi in casu incor-
 rigibilitatis; aut casibus in jure vel Consti-
 tutionibus Apost. specialiter expressis.

5. C. II. „Cum U. violenter Ecclesiam
 „occupâisset, eoque defuncto R. eam est
 „ingressus, præcipit Pontifex, ut secun-
 „dum formam literarum inter ipsum R.
 „& P. spoliatum causa terminetur, sicut
 „inter eundem P. & præfatum U. si vive-

„ret, judicaretur. Unde licet Rescriptum,
 utpote strictæ interpretationis, ordinariè
 non extendatur ad personas non expres-
 sas, id tamen fallit in persona, quæ fictione
 juris non censetur alia ab expressa.

6. „C. 12. Cùm super privilegiis Sedis
 „Apost. causa vertitur, nolumus de ipsis
 „per alios judicari. Ratio, quia ejus est
 interpretari, cujus est condere. Unde, ut
 notat Pirrh. *b. t. n. 73.* Si de intellectu talis
 privilegii v. g. exemptionis dubium oria-
 tur, an sit legitimè concessum, vel quo-
 usque se extendat, tum solus Papa, non
 inferior Judex, interpretationem talis
 privilegii facere potest, quamvis Judex in-
 ferior possit indirectè & incidenter in casu
 particulari illud in dubio inter partes citra
 ullius præjudicium interpretari. Imò
 CLEM. IV. teste Gonzal. *b. c.* „inhibuit di-
 „strictiùs omnibus Ecclesiarum Prælati-
 „ne interpretari præsumant Privilegia &
 „Indulta concessa FF. Minoribus & Præ-
 „dicatoribus, sive clara, quæ interpreta-
 „tione non indigent, sive dubia conti-
 „neant, & voluit, quòd interpretatio super
 „hujusmodi dubiis reservetur Sedi Apost.

7. „C. 17. Præcipit Pontifex Prælati-
 „ut laicis de Clericis conquerentibus ple-
 „nam faciant justitiam exhiberi, non ob-
 „stantibus appell. frustratoriis, quas Cle-
 „rici

„rici frequenter opponunt; ne pro de-
 „fectu justitiæ Clerici trahantur à laicis
 „ad iudicium sæculare; putà de facto; nam
 de jure id fieri nequit; laicus enim citra
 delegationem Papæ est incapax jurisdic-
 tionis in causas & personas Ecclesiasti-
 cas, adeoque supplere nequit defectum vel
 negligentiam Judicis Ecclesiastici, licet
 hic possit supplere negligentiam Judicis
 sæcularis. Denique C. 18. „Delegato A.
 „quem similis in specie causa continge-
 „bat, & ideò minùs favorabilis alteri parti
 „videbatur, recusato Pontifex alterum
 „subrogavit.

8. II. In 6. C. 1. Delegatus Pontificis abs-
 que speciali mandato jubere non potest,
 ut partes personaliter coram se in iudicio
 compareant; nisi in causa criminali; vel
 pro veritate dicenda; vel pro juramento
 calumniæ, vel alia juris necessitate. C. 2.
 „Mulieres quacunque de causa, quæ in
 „jure non exprimitur, ad iudicium perso-
 „naliter evocari vel trahi invitas Pontifex
 „prohibet. Si necessarium fuerit earum
 „testimonium, Judex personam idoneam
 „ad eas mittat, vel personaliter ad ipsas
 „accedat. Verùm hoc tantùm concessum
 est mulieribus honestis, (non meretrici-
 bus seu inhonestè viventibus) quæ non
 possunt invitæ cogi ob causas civiles ad
 com-

comparendum personaliter in iudicio, licet cogi possint, juxta *Cap. præc.* in *Causis criminalibus* contra ipsas intentatis.

9. „C. 3. Major 14 annis in causis beneficialibus & aliis spiritualibus, v. g. matrimonialibus, perinde ac si major 25 annis esset, ad agendum & defendendum admitti debet. Minor 14 annis per se agere aut defendere non potest super ipsis, sed debet ipsi dari Curator ad litem per Episcopum vel Judicem Ecclesiasticum; in his autem causis Minor, cum se parentes intromittere non habeant, quantum sub potestate illorum existat, eorum consensum requirere non debet. Verum in Causis Civilibus nullus minorennis sine Curatore, aut pupillus ante annum 14 sine Tutore agere potest, alias sententia contra ipsum lata ipso jure est nulla; secus, si pro ipso lata sit; quia, ut dicitur *L. non eò minus. C. de Procurat.*
 „*Minoribus aetas, in damnis subvenire, non in rebus prosperè gestis obesse consuevit.*
 Imò minorennibus graviter læsis, sive in spiritualibus, sive temporalibus, semper competit restitutio in integrum; quia juxta *R. J. 61. in 6. Privilegium alicui concessum in ejus præjudicium retorqueri non debet.*
 10. III. In *Clement. c. 2. h. t.* „Dispendiosam prorogationem litium (quam in-

terdum ex subtili ordinis judiciarii cau-
 sarum docet experientia provenire) re-
 stringere cupiens Pontifex statuit, ut in
 Causis super Electionibus, Postulatio-
 nibus, Dignitatibus, Personatibus, Cano-
 nicatibus vel Præbendis, seu quibusvis
 Beneficiis Ecclesiasticis aut Matrimoniis
 ventilandis procedi valeat de cætero
 simpliciter & de plano, ac sine strepitu
 judicii & figura. Statutum hoc est in
 favorem Ecclesiarum, ne diu vacantes
 detrimentum patiantur, & Causarum ma-
 trimonialium ad vitandum periculum in-
 continentia. Verùm *Clement. Sæpe con-*
tingit de V. S. ait Pontifex: „Si tamen in
 præmissis Casibus ordo judiciarius in
 toto, vel in parte, non contradicentibus
 partibus, observetur, non erit processus
 propter hoc irritus nec irritandus. Vide
L. 5. T. 40. in fine.

TITULUS II.

De Foro competente.

Nota i. Differentiam esse inter Forum
 contentiosum masculinè, & Forum
 neutraliter. *Forus* enim *ex c. 10. de V. S.* est
 locus, in quo Judex pro tribunali sedens
 partibus jus dicit: *Forum* est territorium
 cujusque Judicis, intra quod potest jus di-
 cere.

cere, & in facinorosos animadvertere. In præfenti per forum competens intelligitur complexum ex territorio & jurisdictione Judicis in Reum & causam Reo intentatam; nam juxta vulgatum: *Extra territorium jus dicenti non paretur impune*; & ob defectum jurisdictionis impune non comparet conventus, opponendo exceptionem declinatoriam fori seu Judicis incompetentis. In alio sensu fortitur quis Forum, ut legibus vel statutis talis loci ligetur, de quo in Nucl. Theol. *Exam. 2. n. 4.*

2. Nota 2. Reum ex multiplici capite fortiri forum, in quo conveniri possit.

1. *mò* Ratione *Domicilii* seu habitationis in loco cum animo stabiliter ibi consistendi, vel *quasi domicilij* seu habitationis saltem per majorem anni partem in loco sine animo ibi stabiliter commorandi. Qui neutrum habet, dicitur vagus; & potest ubique conveniri, ubi invenitur. Talis etiam censetur, qui domicilio relicto v.g. Augustæ, iter facit v.g. Coloniam, quam animo destinavit pro domicilio, quia hoc non acquiritur solo animo, nisi accedat factum. *L. Domicilium ff. Ad Municip.* Unde etiam posset coram Parocho loci, quem casu interea transit, licite contrahere matrimonium, juxta DD. apud Lac. *L. 6. p. 3. n. 746.*

2. *dò* Ratione *rei sitæ*, ob quam potest

intentari actio realis, non personalis; modo res sit ibi permanentemente, & non transeunter, (nisi praxis obstet) v.g. si transeat peregrinus cum equo, quem incola urbis dicit esse suum negante id peregrino, hic non est subjectus jurisdictioni hujus loci, nec quoad personam, nec quoad rem; potest tamen cogi ad præstandam cautionem de stando juri coram Judice suo, quam si nolit aut non possit præstare, res illa v.g. equus sequestrari debet.

3.^{to} Ratione *Contractûs* celebrati in loco A. vel *quasi Contractûs*, v. g. si duo contrahant Augustæ, & alter promittat se responsurum aut soluturum Francofurti in Nundinis, tunc in hoc loco vel loco domicilii conveniri potest pro arbitrio actoris.

4.^{to} Ratione *Delicti*; nam delinquens subjicitur jurisdictioni Judicis, in cujus territorio deliquit, quamvis aliàs ei non sit subjectus.

5.^{to} Ratione *Privilegij*, vi cujus Clerici nunquam possunt conveniri, nisi in Foro Ecclesiastico, quamvis ipsis intentetur actio civilis, ex privilegio Fori, ut patet ex *Tit. præc. & b. t.* sparsim.

6.^{to} Ratione *Causarum*; nam Causæ spirituales iisque annexæ spectant ad Forum Ecclesiasticum; Civiles & criminales

ad

ad Judicem respectivè competentem; Feudales ad Dominum Feudi, etiam sæcularem, quamvis Vasalli sint Clerici.

7.^{mò} Ratione *Prorogationis Jurisdictionis*; sic Jure Civili per se possunt laici invito proprio Judice sponte se subjicere alieno Judici Ecclesiastico vel sæculari habenti jurisdictionem ordinariam in similes causas. Hinc licet possint in non Judicem tanquam in Arbitrum compromittere, non tamen in eum possunt prorogare jurisdictionem, utpote quam privatorum consensus dare nequit. Verum in his consuetudo attendi debet.

8.^{vò} Ratione *Præventionis*; sic in causis mixti Fori, nempe Ecclesiastici & sæcularis, per primam citationem Rei ad petitionem partis legitimè factam perpetuatur Judicis citantis jurisdictio usque ad decisionem Causæ. Idem est, si delictum, v. g. homicidium, sit inchoatum in territorio A. & consummatum in territorio B. aut cadaver occisi tangat de utroque territorio.

3. Nota 3. Juxta vulgatum: *Regulariter Actor tenetur sequi Forum Rei*; si hic foriatiatur diversa fora, v. g. domicilii, rei sitæ, contractûs &c. est in optione Actoris, in quo foro maluerit ipsum convenire. Si Reus absens sit, potest Judex præventus

ipsum

ipsum Edicto citatorio ad domum ejus
misso vel ad Ecclesiam aut locum publi-
cum affixo (quod ex L. XII. Tabularum
dicitur OBVAGULATIO, juxta Gonz. ad
T. 14. c. 3.) citare; ac si post trinam citatio-
nem cum interpolatione 30 dierum jure
Civili, aut 10 dierum Jure Canonico fa-
ctam, vel unam peremptoriam pro prima,
secunda & tertia vice absque legitimo im-
pedimento comparere recuset, potest ela-
pso termino peremptorio declarari con-
tumax, & Actor à Judice mitti in possessio-
nem bonorum Rei, si talia ibi habeat; si non
habeat, sed alibi, à Judice loci requisito, de
quo plura in seqq. Dixi, *Regulariter*, quia
quandòque Reus tenetur sequi forum
Actoris; sic juxta L. *Diffamari*. Diffamatus
de delicto vel debito potest adire suum Ju-
dicem & petere, ut diffamanti præfigat ter-
minum, intra quem vel objecta probet; vel
si in probatione defecerit, perpetuum ipsi
silentium imponat; si verò diffamator sit
alienæ jurisdictionis, proprius ejus Judex
à Judice diffamati est requirendus pro exe-
cutione citationis; quia citatio non subditi
extra territorium vires non habet. Item
juxta dicenda infra Tit. 4. Si Clericus con-
veniat laicum in foro Civili, is ratione re-
conventionis quoad similem Causam Ci-
vilem tenetur respondere. H. T. statuitur:

4. I. In Decret. C. 5. „Si Clericus la-
 „cum de rebus suis vel Ecclesiæ imperie-
 „rit, & laicus res ipsas non Ecclesiæ esse
 „aut Clerici, sed suas proprias asserat, de-
 „bet de rigore juris ad forenssem Judicem
 „trahi, cum Actor forum Rei sequi debeat.

C. 6. „Jubet Pontifex Causam Feudalem
 „ad Episcopum delatam per Dominum
 „Feudi sæcularem terminari; si tamen illi
 „malitiosè distulerit, jubet ei per Episco-
 „pum finem imponi. Nam quando Judex
 „sæcularis non præstat aut negat justitiam
 „quævis causa sæcularis ratione peccati
 „potest trahi ad Judicem Ecclesiasticum.

5. C. 12. „Manifestè patet, quòd Clerici
 „non solùm inviti, sed etiam voluntarij
 „nequidem in temporalibus Causis etiam
 „juramento super hoc interposito, pacifice
 „non possunt, ut sæcularia judicia subeant
 „cùm non sit beneficium hoc personale
 „cui renuntiare valeant, sed potius totum
 „Collegio Ecclesiastico sit publicè indubi-
 „tum, cui privatorum pacto derogari non
 „potest; nec juramentum licitè servari
 „potest, quod contra Canonica Statuta
 „licitis pactionibus informatur. C. 13. Cle-
 „rici, servientes Capitulo B. super excessi-
 „bus suis conveniendi sunt coram Episco-
 „po tanquam Ordinario, maxime si in
 „ipsius Diœcesi delinquant; non coram

„illis, quibus serviunt, nisi fortè hi ex in-
 „dulgètia vel Consuetudine speciali ju-
 „risdictionem in ejusmodi Clericos sibi
 „valeant vendicare. Talem sibi vendi-
 cant Decani Cathedrales in Germania in
 Canonicos & Clericos Capitulo deser-
 vientes.

6. C. 14. „Sacerdos Ecclesiam habens
 „in una Diœcesi ibique residens, domici-
 „lium verò patrimonii in alia, ibique de-
 „linquens, per Episcopum, in cujus Diœ-
 „cesi deliquit, debet judicari; & sententiæ
 „ab eo latæ quoad privationem Beneficii
 „per Episcopum, in cujus Diœcesi Bene-
 „ficio habet, erit executio facienda.

C. 18. „Licet privatorum consensus eum,
 „qui jurisdictioni aliàs præest, possit Judi-
 „cem constituere; Clerici tamen in Judi-
 „cem non suum (nisi sit persona Eccle-
 „siastica, & Episcopi voluntas accedat)
 „consentire non possunt. An laici litigan-
 „tes super re spirituali, v.g. jure patronatûs,
 „possint absque consensu Episcopi proro-
 „gare jurisdictionem in Judicem Ecclesia-
 „sticum non suum? Disputant DD. teste
Wagnereck ad h.c.

7. Denique C. 19. „Cum quidam subdi-
 „tus ad petitionem Adversarii à Judice
 „suo erat legitimè citatus ad Causam, quia
 „postmodum jurisdictionis alterius esse

„cœpit, illud intendens iudicium decli-
 „nare, respondit Pontifex, dubium non
 „esse, quòd is in prædicta Causa jus re-
 „vocandi forum non habet, quia ab illo
 „jam præventus.

8. II. *In 6. b. t. C. 1.* decernit Pontifex
 „Ne Archi-Episcopus appellationis arti-
 „culo prætermisso aut aliàs de Clerico
 „rum causis tanquam Judex, licèt ab illo
 „sponte electus, sine suffraganeorum
 „consensu cognoscat, aut in horum Offi-
 „ciales vel subditos pro eo, quòd citati co-
 „ram se non compareant, Ecclesiasticam
 „ferat Censuram, &c. C. 2. Præcipit Pon-
 „tifex, ut Iudices sæculares, qui Clericos
 „ad solvenda debita damnabili præsum-
 „ptione compellunt, per locorum Ordina-
 „narios Eccles. Censurâ compescantur.
 Hinc, ut ait Pirrh. *b. t. n. 48.* Licèt debi-
 tum Clerici sit liquidum, nequeunt te-
 men bona illius à Iudice sæculari seque-
 strari aut arrestari.

9. C. 3. „Si Clericus solvit aut fidei iuramentum
 „pro laico; & is iuravit, se Clericum servan-
 „turum indemnem, sed id facere recusat
 „coram Ecclesiastico Iudice (ad cuius fori
 „rum ratione iuramenti ejusmodi causam
 „noscitur pertinere) potest conveniri,
 „ad Clericum servandum indemnem per
 „Eccles. Censuram compelli. Verum

jectio juramenti per se non mutat forum, sed forum foro accumulatur, ut Judex tam saecularis quam Ecclesiasticus de tali Causa cognoscere possit; quamvis ratione illius etiam laicus ad Forum Ecclesiasticum trahi queat.

TITULUS III.

De Libelli Oblatione.

LIBELLUS est scriptura brevis, claram continens actionem, seu intentionem Actoris ad condemnationem Rei concludens, offerenda Judici & per hunc Reo communicanda, ut is spatio 20 dierum deliberare possit, an cedendum sibi sit vel iudicio contendendum. Proinde libellus virtualiter continet Syllogismum, in quo causa seu ratio petendi desumpta ex jure constituit Majorem, facti narratio Minorem, petitio conclusionem. Requisita ad ordinatum libellum hoc versu sunt expressa:

Quis, Quid, coram Quo, Quo jure petatur,
& à quo,

Rectè compositus quisque libellus habet. Dicitur 1.^{mo} *Scriptura*, quia in iudicio ordinario juxta *c. s. h. t.* actorem oportet actionem suam libelli serie declarare, ut Judex eo inspecto sciat, super qua re cognoscere & sententiare debeat.

2.^{dò} *Claram continens Actionem*, non quidem nomine proprio, sed saltem per æquipollens, ut Reus ritè possit intelligere, quid, quale, quantum & ex quo titulo petatur. Hinc C. 2. *b. t.* „Cum in lite super „quadam terra fratribus T. & R. qui plus „res terras habebant, oblatus fuisset liber „lus, postulârunt, ut terra ista ostenderetur „eisdem; quod, cum Judices factum „denegarent, appellationem ad se factam „Pontifex recepit; & si quid postea attentatum sit, in irritum revocari jussit. Item C. 3. „Cum F. à P. super quadam pecuniæ „summa (cujus causam nolebat P. exprimere) „conventus ad Pontificem appellasset, is appellatione admittens contractum „in irritum revocat. 3.^{tiò} *Ad condemnationem Rei concludens* vel formaliter, si intentetur actio civilis, v. g. hoc modo: *Petenti mihi juxta allegata restitui hunc agrum solvi tantam summam pecuniæ, &c.* vel æquivalenter, si intentetur actio mere criminalis, quia hæc propositâ lex ipsa concludit, determinando pœnam vel certam portionatam.

2. Ex his inferunt DD. 1.^{mò} Quòd liber regulariter non debeat esse generalis nec incertus, nec alternativus seu ambiguous, v. g. petendo aliquem fundum

determinatè, aut hunc vel illum disjunctivè; aliàs à judicio, præsertim parte opponente, repelli potest. Si tamen talis libellus sit admissus, & in progressu Causæ ad certitudinem relatus, tunc poterit Judex juxta illum sententiam proferre; nam libellum etiam post litem contestatam usque ad sententiam definitivam posse emendari, (salvâ ipsius substantiâ, ita ut nec res petita nec causa petendi mute- tur) ut tollatur obscuritas, docet commu- nis. Dixi *Regulariter*, quia si non petatur res particularis, sed res continens in se plures particulares, non est necessè, sin- gulas in libello specificè exprimere, sed sufficit petitio generalis, dicendo v. g. *Pe- to mihi restitui hæreditatem à Titio re- lictam, castrum cum juribus & pertinen- tiis, fundum cum fructibus perceptis, &c.* ac evictâ lite tempore executionis super iis cognoscendum. Item quandoque ad- mittitur libellus alternativus, v. g. dum is, cui disjunctivè aliquid legatum est, petit hoc vel illud sibi præstari ab hærede; Creditor traditionem hypothecæ vel solu- tionem debiti; læsus ultrà dimidium vel supplementum justii pretii, vel rei emptæ restitutionem, &c.

2. In libello semper exprimendam esse causam petendi; & quidem, si intentetur

actio in rem, ad illius vindicationem, sufficit exprimere causam proximam seu dominium vel quasi dominium, non autem tenetur Actor exprimere remotam seu ex qua dominium acquisierit, quamvis eam postea in prosecutione causae teneatur indicare & probare. Econtra si intentetur actio personalis, non sufficit exprimere causam proximam nempe obligationem ex parte Rei; sed exprimens da est causa remota, ex qua fit orta obligatio, v. g. an ex mutuo, empto, &c. & Disp. est; quia cum dominium in solidum non possit esse penes plures, expressa hac causâ Reus agnoscere valet, utrum cedere an contendere debeat; quod non potest, si intentata actione personali non exprimat causa remota, quia contingere potest, ut, si Actor eam exprimat, Reus statim fateatur, se rem petitam debere contingere etiam potest, ut, si Actor eam exprimat, Reus iudicet, se ex ea nihil debere.

3. Conclusioni libelli civilis solet adijci hæc clausula salutaris: „Super his omnibus peto mihi jus & justitiam administrari omni meliori modo & formâ, quæ de jure, statuto vel consuetudine fieri potest, protestando de expensis.“ Quæ virtute hujus clausulæ viderur Actor

omne suum jus, etiam quoad accessoria ex illa actione provenientia, ut lucrum cessans, damnum emergens, &c. in iudicium deduxisse, ut possit Judex Reum in res expressè non petitas, & victum in expensas condemnare, quod juxta multorum doctrinam aliàs non potest; quia *arg. l. ult. C. de Fideicom. libert. Fatuus est Judex, qui ultra petita judicat.*

TITULUS IV.

De mutuis Petitionibus.

I. Post porrectum Judici libellum fit citatio Rei, quæ est actus legitimus, quo quis mandato Judicis juris experiundi causâ in iudicium vocatur. Si Reus comparens viso libello Actoris, quo quid à se petit, vicissim oblato libello petat aliquid ab Actore, sunt MUTUÆ PETITIONES, seu conventio coram Judice ex parte actoris, & reconventio ex parte Rei, quæ germanicè dicitur *Wider-oder Gegen-Klag.* Hæc locum habet non solum coram iudice ordinario, sed etiam delegato, ut patet ex c. i. h. t. ubi mandat Pontifex delegatis suis: „ Ut reconventi compellantur „ coram iis super quæstionibus propositis „ in continenti respondere, ut vicissim ra- „ tiones partium audientes concordiam vel

„judicio utriusque negotium terminent. Unde si Actor nolit respondere ad libellum reconventionis, neque Reus tenetur respondere ad libellum Actoris.

2. Jus reconventionis videtur fundamentum in ratione & æquitate naturali, ut reconventus nullâ fori incompetentis exceptione se tueri possit, juxta *l. cum Papinianus. C. de 1. sent. & interloc.* ubi dicitur: *Cujus in agendo quis observat arbitrium, eum habere etiam contra se judicem in eodem negotio non dedignetur.* Unde etiam receptior est sententia, Clericum in civilibus reconveniri posse non tantum coram Judice Ecclesiastico, sed etiam sæculari; per quod non fit prorogatio jurisdictionis laici in Clericum voluntaria & descendens ex privato pacto, quod est vetitum; sed necessaria & proveniens ex auctoritate legis tribuentis jurisdictionem tali casu in actorem aliàs sibi non subiectum. Dixi *in civilibus*, quia certum est, quòd Clericus non possit coram laico tanquam incapace jurisdictionis reconveniri in causa spirituali vel huic annexa, aut in causa criminali; sicut nec accusator potest reconveniri à Reo super eodem vel graviore crimine, (nisi illud objiciat per modum exceptionis) quia *non relatione cri-*

mi-

minum, sed innocentia reus purgatur. L. is qui Reus. ff. de publicis jud.

3. Reconventio duplicem in jure habet effectum: unum *simultanei processus*, ut causa conventionis & reconventionis quasi pari passu ambulando simul sint tractandæ, & unâ sententiâ virtualiter duplici terminandæ, aliàs justè appellatur: alterum *prorogationis jurisdictionis*. Ut habeat utrumque effectum, requiritur, ut ante vel statim post litem contestatam, priusquam juratur de calumnia, proponatur; si verò seriùs, esto circa finem litis, proponatur, operatur quidem effectum prorogationis, ut etiam hoc casu actor huic Judici à se electo subjiciatur; non tamen operatur effectum simultanei processus, ne causâ conventionis satis discussâ, ejus decisio cum dispendio actoris ob seriùs obmotam reconventionem differatur.

4. Cæterum modus procedendi observandus in causa conventionis observari quoque debet in causa reconventionis; nam C. 2. h. t. „Consultus Pontifex, utrum
 „cum causa app. rem. committitur, &
 „Reus coram eodem Judice actorem re-
 „convenit, & actor super reconventionem
 „appellationem interponit, an appellatio-
 „ni hujusmodi sit deferendum? Respon-
 „det:

det: Cùm in hoc casu Actoris & Rei eadem fit conditio vel causa, & uno eodemque jure circa appellationis remedium uti debeat uterque, appellationi non esse deferendum; & quia expresse habetur, quòd eodem jure quis uti debeat, quod quis in alterum statuit, ideo sicut desiderat, ut sibi juxta Rescriptum justitia fiat app. rem. & ita debet & eadem ratione se reconveniendi in sua justitia respondere. Ratio, quia in judiciis servanda est æqualitas, ut Actor & Reus non debeant per imparia judicari; nec Actori licere debeat, quod Reo non est licitum.

TITULUS V.

De Litis Contestatione.

LITIS CONTESTATIO (quæ dicitur basis & fundamentum judicii, ita ut eadem omisâ vitietur processus ordinarius, & sententia secuta sit nulla) est judicii constitutio coram Judice facta per petitionem Actoris & contradictionem Rei animo litigandi saltem exercitè declarato. Colligitur ex *C. un. in Decret. h. t.* ubi habetur: „Quamvis positiones & responsiones „hinc inde super pluribus articulis factæ „fuerint coram Judice, quia tamen litis „contestatio per hoc non est facta, cum

non per positiones & responſiones ad
 eas, ſed per petitionem in jure propo-
 ſitam & responſionem ſecutam conte-
 ſtatio litis fiat, Proceſſum Pontifex irri-
 tum duxit nuntiandum. Ratio, quia
 poſitiones (quæ ſolent dici certi articuli)
 continent ſolam & ſimplicem narratio-
 nem facti ab Actore ad veritatem elicien-
 dam conceptæ, ſuper quibus is, ut lite
 conteſtatâ ab onere probandi relevetur,
 petit ſibi reſponderi ab adverſario, ſunt-
 que vel poſitivæ, v.g. pono, *Quòd Cajus ac-
 ceperit mutuum, &c.* vel negativæ, v. g.
 pono: *Quòd Titius non habeat diſpenſa-
 tionem ſuper pluralitate beneficiorum &c.*
 Non verò continent petitionem, adeò-
 que Judex ex eis ſententiam proferre ne-
 quit, quia non petenti officium ſuum im-
 partiri non poteſt. Deinde ſi Reus non
 non contradicat, ſed fateatur ſe debere,
 quod petit Actor, nulla eſt litis conteſta-
 tio, (ſed ſi tunc nolit ſatisfacere, non ſen-
 tentiâ, ſed præcepto Judicis ad hoc cogen-
 dus) uti nec ſi opponat exceptionem de-
 clinatoriam fori, v. g. recuſando Judicem
 tanquam incompetentem aut ſuſpectum,
 quia per hoc non contradicit actioni
 actoris. Imò ſi Reus opponat exceptio-
 nem contra actionem Actoris à ſe con-
 feſſatam, v. g. dicendo: Centum quos
 petis

petis ex causa mutui, accepi quidem, sed solvi, seu vicissim debes mihi ex alia causa v. g. empti tantundem, non fit litis contestatio, nisi actor solutionem vel reciprocum debitum negaverit; quo casu conventus Reus fit Actor, ipsique incumbit onus probandi suam exceptionem. Hoc Tit. statuitur:

2. *C. 1. in 6.* „Exceptio peremptoria „ante litis contestationem objecta, nisi de „re iudicata, transacta seu finita excipiat „litigator, litis contestationem non im- „pedit. Et *C. 2.* Si oblato ab Actore libel- „lo, ex parte Rei exceptio peremptoria „proponatur, nequaquam per hoc litis „contestatio dicitur esse facta. Imò eâ non „obstante, nisi sit de illis exceptionibus, „quæ litis contestationem impediunt, *(quales sunt tres illæ ex C. præc. nempe transactio, lis finita, & res iudicata)* fieri „oportebit eandem. Ratio, quia per litis „contestationem ordinatur iudicium; per „exceptionem peremptoriam destruitur, „adeoque lis primùm contestatur, si Actor „contradicat exceptioni, v. g. factæ solu- „tionis, præscriptionis, &c. Vide infra *Tit. 25.*

3. Effectus litis contestatæ sunt 1. *Ex parte Judicis* perpetuatio jurisdictionis, ut sine nova Causa superveniente recusari

UT LITE NON CONTEST. NON PROC. AD TEST. &c. 191
non possit. 2. *Ex parte Actoris* perpetua-
tio Actionis, ut non possit invito Reo à lite
recedere, mutare libellum, v. g. petendo
rem penitus aliam à prius petita, aut aliam
speciem actionis intentando. Quamvis
Actor tunc possit à prima instantia ex toto
recedere cum refusione sumptuum, quos
Reus fecit, & refarcitione damnorum,
quæ passus; & offerendo aptiorem libel-
lum novam prorsus litem intentare. 3. *Ex
parte Rei* interruptio præscriptionis, quia
tunc fictione juris possessor malæ fidei
constituitur, ut succumbens in possessorio
ad omnes fructus tempore litis perceptos
veniat condemnandus.

TITULUS VI.

*Ut lite non contestatâ non procedatur
ad Testium receptionem, vel ad sen-
tentiam definitivam.*

Ratio Rubricæ (quæ, cum contineat
completum sensum, jus facit, & in
Causarum decisione pro lege allegari va-
let) est, quia tam testium examen, quod
est quasi litis ædificium, quàm sententiæ
prolatio fit causâ litis finiendæ, ideóque
oportet esse litis contestationem, quæ est
fundamentum iudicii ordinarii, prius-
quàm

quàm testes recipiantur, aut sententia proferatur. *H. t. in Decret. statuitur:*

2. C. 3. „Consultus Pontifex, utrum,
 „si aliquis citatus legitimis peremptoriis
 „comparere noluerit, Judex lite non con-
 „testatâ contra ipsum debeat sententiam
 „promulgare? Respondet, quòd, si Reus
 „se contumaciter curaverit absentare, ta-
 „lisque sit causa, quòd Actor possit in pos-
 „sessionem rerum petitarum induci, est
 „in eadem (*per primum Decretum*) causâ
 „custodiæ inducendus: si in possessionem
 „nequeat intromitti, (*v. g. si bona non*
 „*habeat, aut litigetur de beneficio*) con-
 „tumaciter absens, ut Juri pareat, est per
 „Censuram Eccles. compellendus. In aliis
 „casibus attendendum, utrum contumax
 „conveniatur accusatione reali vel perso-
 „nali? Si reali, mittendus est utique Actor
 „in rei petitiæ possessionem, ut tædio af-
 „fectus Reus veniat responsurus; quòd
 „si venerit infra annum iudicio sisti, pra-
 „stitâ cautione ac exhibitâ satisfactione
 „congruâ expensarum, possessionem re-
 „cuperet; quòd si cautionem infra annum
 „offerre neglexerit, Actor post annum
 „verus constituatur possessor (*per secun-
 dum Decretum*) super proprietate dur-
 „taxat adversæ parti defensione legitimâ
 „reservatâ. Quòd si super rebus immo-

„bilibus quisquam conveniatur, qui eas
 „nomine possidet alieno, debet statim in
 „iudicio Dominum nominare, quem Ju-
 „dex edictis legitimis evocabit, eoque
 „contumace negotium summam exa-
 „minans in possessionem ipsarum rerum
 „Actorem mittere non tardabit. Si autem
 „super personali actione conveniatur, vel
 „mittendus est Actor pro modo debiti in
 „possessionem mobilium bonorum ipsius,
 „vel immobilium, si forte mobilia non
 „habeat; vel in contumacem est Eccles.
 „sententia proferenda; qui veniens infra
 „annum vel post annum, etiam audietur
 „modo ante dicto. Vide supra T. 2. n. 3.
 & infra T. 15.

3. Circa hoc Cap. notat Pirrh. *h. t. n. ult.*
 Si v. g. Colonus laicus, conventus rei vin-
 dicatione, nominet Clericum in iudicio
 tanquam Dominum, debet is tanquam
 principalis Reus coram suo Iudice Eccle-
 siastico conveniri, novo libello contra
 illum oblato; e contra si Clericus vendidit
 prædium laico, potest rei vindicatio in-
 stitui coram Iudice sæculari, coram quo
 Clericus (qui tunc non est Reus princi-
 palis) debet ipsi emptori assistere, eum-
 que defendere, ne res ab eo evincatur.

4. Item C. 5. *h. t.* decernitur: „Regula-
 „riter verum est, quod lite non contestatâ

„ non est ad receptionem testium proce- „ gu
 „ dendum, nisi fortè timeatur de morte „ po
 „ testium vel absentia diuturna, in quibus „ i
 „ casibus, cum civiliter est agendum, (ut „ an
 „ veritas occultetur, & probationis copia „ no
 „ fortuitis casibus subtrahatur) senes & „ ne
 „ valetudinarii aliique testes, de quibus et „ ri
 „ aliqua causa timetur, etiam lite non con- „ le
 „ testatâ sunt procul dubio admittendi „ le
 „ siue pars conventa sit contumax, siue sit „ do
 „ absens absque malitia, ut conveniri non „ sub
 „ possit; sed si Actor non convenerit ad „ & n
 „ versarium infra annum, ex quo conve- „ nem
 „ nire poterit, vel saltem receptionem hu- „ nam
 „ jusmodi testium non denuntiaverit illi „ mu
 „ attestations receptæ non valeant, ne „ run
 „ fortè per fraudem processu temporis ex- „ stric
 „ ceptiones legitimæ ad repellendum te „ pen
 „ stes haberi non possint. Porro speciales „ mu
 „ causæ possunt occurrere, in quibus teste „ Un
 „ sunt admittendi parte contumaciter „ ca
 „ absentante, v. g. si super conjugio spe „ m
 „ rituali inter Prælatum & Ecclesiam re- „ C.J.
 „ tione electionis; vel conjugio carna- „ cr
 „ ratione impedimenti dirimentis quæstio „ si
 „ moveatur, ne propter longam moram „ ce
 „ patiatur Ecclesia læsionem, vel conjug- „ va
 „ fornicationis occasio præbeatur; ac si de „ qui
 „ causa liqueat, ad definitivam sententiam „ mo
 „ est procedendum; si autem alter conjur- „ pot
 „ „ g

Ut LITE NON CONTEST NON PROC. AD TEST. & C. 195
„gum sine culpa sit absens, ut citari non
„possit, tam diu expectetur, donec de
„ipius obitu verisimiliter præsumatur;
„alias receptio testium ei præjudicare
„non debet, cum habeat forsitan exceptio-
„nes legitimas ad intentionem contra-
„riam elidendam. Sunt alii casus specia-
„les, in quibus absque litis contestatione
„legitimè possunt testes produci, ut quan-
„do excessuum inquisitio est facienda;
„subintellige generalis ex officio Judicis,
& non specialis ad instantiam partis actio-
nem criminalem criminaliter intentantis;
nam in criminalibus (de quibus potissi-
mum procedit regula Rubricæ) requi-
runtur probationes liquidæ, præsentis &
strictæ. Quia ut dicitur *L. Absentem ff. de*
pænis: Satius est impunitum relinqui faci-
mus nocentis, quàm innocentem damnare.
Unde in cit. Cap. ait Pontifex: „Quòd ex
„causa lite non contestatâ testes sint ad-
„mittendi, cum civiliter est agendum. Et
C. l. h. t. „Cum uxor accusaret virum de
„crimine adulterii ad separationem thori,
„si lite non contestatâ testes fuerint re-
„cepti, respondet, non esse ad definiti-
„vam sententiam procedendum. Ratio,
quia hîc non agebatur de fœdere matri-
monii, cujus causa utpote favorabilis
potest summarie cognosci absque conte-

statione litis; sed de crimine ad separationem thori in præjudicium matrimonii, quæ causa ordine judiciario est cognoscenda.

5. Verùm notant DD. h. t. is, qui timet litem sibi movendam sive civilem, sive criminalem, adeoque futurus Reus, potest curare recipi testes sub authentico documento ad perpetuam rei memoriam ad futuram sui defensionem, non tantum illos, in quibus est periculum mortis vel absentia, sed etiam quoscunque, & in hoc plus est concessum Reo quàm Actori, qui non est in Rei potestate, quando conveniatur; sicut est in Actoris, quando agere velit.

TITULUS VII.

De Juramento Calumniae.

I. **T**riplex in judiciis exigi potest JURAMENTUM; primum *Calumniae*, quod Actor jurat, se non animo calumniandi, i. e. iniquè adversarium vexandi, litem movere, sed credat se justam habere causam & fovere; item Reus, quòd putet se justè resistere opinione juris sui. Alterum *De Veritate dicenda*, ut, quando Actor ante probationem redigit libellum suum

in certos articulos, ac petit, ut Reus ad singulos prævio juramento prædicto respondeat saltem per *Credo, vel non Credo verum*, ad veritatem eliciendam; vel econversò Reus proponit Actori articulos ad respondendum. Tertium *Malitiæ*, quando partes jurant se non malitiôsè seu litis protelandæ causâ exceptiones proponere vel dilaciones petere, nec per se aut per alios Judici vel Referendariis munera dedisse vel promississe. Primum in eadem instantia tantum semel est præstandum; econtra alterum propositis novis articulis; uti & tertium ortâ novâ suspicionem à litigante sæpius exigere potest.

2. I. *In Decret. b. t. c. 1.* definitur, ut „non Episcopus aut cujuscunque Ordinis „Clericus, nec aliquis Monachus & Sanctimonialis in qualicunque causa vel „controversia, sive criminali, sive civili, „jusjurandum compellatur qualibet ratione subire, sed aliis defensoribus idoneis, si expedire Ecclesiæ suæ noverint, hujusmodi officium liceat delegare; verum cum hac moderatione, ut „Episcopi inconsulto Rom. Pontifice, vel „quis Clericus inconsulto Prælato suo „minimè jurare audeat. Nihilominus huic Canoni multum per posteriores vel

consuetudinem derogatum; quamvis ea adhuc vigeat, ut Clerici in Sacris constituti, vel Religiosi compelli non possint sine licentia Episcopi vel Prælati ad præstandum per se iuramentum iudiciale coram Iudice non suo, etiam Ecclesiastico quia est coactivum; Iudex autem non sumit in eos absque dicta licentia jurisdictionem exercere nequit. Verùm citra talem licentiam possunt v. g. in contractibus cum laico iuris præstare iuramentum, quod hoc est voluntarium, seu liberâ voluntate contrahentium suscipitur.

3. C. 2. „Pontifex mandat, quia nova morbis nova convenit antidota præparari, quatenus Iudices in causa inter Clericum & J. Canonicum vertente veritatem eliciendam appell. cess. præstari faciant ab utraque parte calumnia iuramentum, consuetudine, quæ levis & contraria est, non obstante. Ratio, quia id exigitur ad obviandum malitiæ hereticæ, à qua status Clericalis profectus non est immunis, ut ait *Wagner*. Adversus que licet olim crederetur Clericis iuratis, ac laicis iuratis, processu temporis illa existimatio fuit imminuta.

4. Denique C. 5. decernitur: „Cum Episcopus non per se, sed per Syndicum, vel Actorem elegerit litigare, per illum

„præstandum erit calumniæ juramen-
 „tum; quòd si per seipsum, propositis
 „tantum sed non tactis Evangeliiis, ab ipso
 „videtur hujusmodi juramentum exhi-
 „bendum. Pœna verò recusantis hoc ju-
 „ramentum, cùm præstandum fuerit, est,
 „ut Actor ab instituta cadat actione, Reus
 „autem haberi debeat pro confesso; non
 „quidem eo ipso, sed per sententiam Ju-
 „dicis declaratoriam. Ex hoc inferunt DD.
 „quòd etiam personæ Ecclesiasticæ & Re-
 „ligiosæ, si jurandum sit, jurent proposi-
 „tâ Cruce vel Evangeliiis, tacto tantum
 „pectore.

5. II. *In 6. h. t.* decernit BONIF. VIII. C. I.

„De Calumnia seu veritate dicenda, si in
 „principio non juretur, poterit in qua-
 „libet parte litis jurari, cùm illud non sit
 „de substantia ordinis judiciarii; & pro-
 „pter omiffum tacitè calumniæ juramen-
 „tum, processus non est nullus neque an-
 „nullandus. Item quamvis in causis spi-
 „ritualibus Canones non indicant ca-
 „lumniæ juramentum, utile tamen est,
 „tam de veritate dicenda, quàm de ca-
 „lumnia, ut via præcludatur calumniis,
 „jurari in iisdem. Dicitur h. C. *Propter*
 „omiffum tacitè, seu non exactum; si enim
 „exactum sit & non præstetur, vitiatur to-
 „tus processus; deinde partes non possunt

illud remittere per pactum expressum, quia introductum est ob bonum publicum, ut metu jurisjurandi litigantium compefcatur audacia, & omnis calumnia arceatur; favori autem publico nemo derogare potest, licet possit privato; & hinc potest quis juramentum testium expressè remittere, utpote introductum in favorem partis ob commodum privatam.

6. Item C. 2. declarat Pontifex: „in
 „omnibus Causis tam ante quàm post
 „litem contestatam, sive de veritate, sive
 „de calumnia sit juratum, posse Judices
 „exigere juramentum malitiæ, quoties
 „viderint expedire. Et C. 3. Procurato-
 „rem habentem super hoc speciale man-
 „datum rectè admitti ad præstandum ca-
 „lumniæ juramentum; qui tunc de causâ
 instructus quasi duplex debet præstare
 juramentum, *unum* ex mandato & in
 animam sui Principalis; *alterum* in ani-
 mam propriam, quòd & ipse credat, se
 bonam causam tueri. Verùm Syndici
 Tutores & similes tantùm jurant in ani-
 mam propriam.



TITULUS VIII.

De Dilationibus.

DILATIO est termini seu temporis ad aliquem actum judicialem commo- dius expediendum concessa prorogatio; idque vel à lege, vel à consuetudine, v. g. decendum ad appellandum à sententia, diciturque *Legalis*; vel à conventionem partium, ut si actor post sententiam Reo concedat annum ad præstandam solutionem, estque *Conventionalis*; vel à Judice ad instantiam partis, diciturque *Judicialis*, quæ est vel *Citatoria*, quæ datur Reo, si post trinam citationem aut unam peremptoriam ob justum impedimentum intra triginta dies comparere non possit; vel *Deliberatoria*, quæ datur Reo, ut viso libello Actoris elapsis viginti diebus adhuc deliberare possit, an litigare velit, aut cedere; vel *Probatoria*, quæ post litem contestatam datur Actori & Reo, illi ad suam intentionem, huic ad exceptionem probandam per testes aut instrumenta, quanquam à Legge, si testes ex eadem Provincia producendi sint, concedantur tres menses; si extra eam, sex; si ex ultra mare, novem; vel *Executoria*, quæ datur

N 5

Reo

Reo per sententiam condemnato ad satisfaciendum vel solutionem faciendam; quanquam de jure in actione reali executio statim facienda; in personali concedatur spatium quatuor mensium. Ad has quatuor species cæteræ dilationes revocari possunt. Agitur h. t. tantum de dilationibus citatoriis & deliberatoriis; licet Rubrica sit generalis, proin rubrum est generalius nigro.

2. Porro variæ Causæ in jure apud Gonzal. h. t. ob quas dilationes peti possunt, assignantur, v. g. si pars morbo fontico, i. e. gravi laboret, aut Reip. causa absit; si familia funesta sit morte Patris vel Domini; si testes, instrumenta vel Advocatum abesse contingat &c. Si iusta causa subsit, est dilatio concedenda, nec nimis brevis, nec nimis longa, sed ad tempus, Judicis arbitrio spectatis circumstantiis definiendum, vel etiam proroganda dilatione labente sed nondum elapsâ; si enim elapsa sit, prorogari nequit, sed nova dilatio est petenda. Econtra si pars frivole seu absque legitima causa petat dilationem, hæc à Judice deneganda, ut patet ex seqq. Nam

3. *In Decret. c. 1. h. t.* „Cùm in causa
 „vertente inter H. & L. super quadam Ec-
 „clesia Judices ad primam citationem

„ipsis terminum nimis brevem & perem-
 „ptorium statuissent, iique censentes se
 „aggravari ad Sedem Apost. appellârunt.
 „Pontifex rescribit: Quia non spectat ad
 „juris ordinem diem peremptorium,
 „maximè cum de rebus Ecclesiasticis agi-
 „tur, (nisi fortè necessitate urgente) tali-
 „ter maturare, novis Delegatis mandat,
 „ut revocato in irritum, si quid post ap-
 „pell. attentatum sit, juxta priorum te-
 „norem literarum procedant. Dicitur:
Nisi fortè necessitate urgente, quia si v. g.
 periculum sit in mora, ne res litigiosa
 pereat; vel Actor diu in loco commorari
 non valeat, & Reus non procul sit, ut fa-
 cile se intruere possit ad respondendum;
 aut agatur de alimentis, quia venter mo-
 ram non patitur, &c. tunc Judex potest
 terminum, etiam à Lege concessum ar-
 ctare seu abbreviare; licet nequeat abbrevi-
 are tempus datum ad appellandum,
 quia latâ sententiâ officium ipsius expirat.

4. Item c. 2. h. t. rescribit Pontifex: „Si
 „Reus ex Rescripto ad primam citatio-
 „nem sibi transmissò plenè potuit instrui
 „de eo, de quo convenitur, & ad tertiam
 „tantummodò citationem peremptoriam
 „veniat, & vexationi actoris intendens
 „tunc primò deliberatorias requirat in-
 „ducias, ex ipsi ulterius non sunt indul-
 „gen-

„gendæ, sed ad causam ejusque decisio-
 „nem procedendum. Et c. 3. Cum Pres-
 „byter P. contra quosdam Nobiles quere-
 „retur, quòd pensiones Ecclesiæ suæ de-
 „bitas non solverint jam tribus annis &
 „ultra, ipsi petebant, quantum spatium
 „per adjectionem ET ULTRA significaret,
 „& Presbyter septem annis à solutione
 „cessatum exprimeret, Nobiles dicentes
 „libellum hac expressione mutatum, lon-
 „giores ad deliberandum inducias petie-
 „runt, iisq̄ue denegatis ad Papam appel-
 „larunt, qui appellationem hujusmodi
 „frivolam reputans, mandavit eâ non
 „obstante in causa procedi. Ratio deci-
 „sionis est, quia cum Emphyteusis Eccle-
 „siastica ob non solutam per biennium
 „pensionem cadat in commissum, Nobiles
 „ob allegatos in libello tres annos satis de-
 „liberare poterant, adeoque ob aliquid
 „superflue ad substantiam non pertinens
 „additum dilatio non erat danda.

TITULUS IX.

De Feriis.

FERIE sunt dies & tempora, quibus
 „omne exercitium contentiosæ juris-
 „dictionis conquiescit ex statuto Legum
 „vel Canonum, sîntque vel *Sacra*, qua

cultui Dei & Sanctorum sunt dicatæ: vel *Profana*, quæ propter necessitatem vel utilitatem hominum sunt institutæ, ut tempus messium, vindemiarum, &c. Actus voluntariæ jurisdictionis, ut dispensare, absolvere, &c. omni tempore exerceri possunt; imò licet decretum citationis nequeat formari die feriato à Judice pro Tribunali sedente, quia est actus judicialis; ejus tamen intimatio potest fieri per nuntium die feriato, quia est actus extrajudicialis. At si fiat citatio ad diem feriatam, v. g. Dominicam vel festivam determinatè, est omninò irrita; si autem ad certum diem mensis, in quem casu incidit festum mobile, v. g. Corporis Christi, citatus obligatur comparere proximo die sequente non feriato. An testes die feriato possint juridicè examinari? Disputant DD. apud Pirrh. *n. 31. & 32.*

2. H. t. speciale est *Cap. 5. aut fin.* ubi ait Pontifex: „Quamvis non prorogari sed „expediri deceat quæstiones seu lites, de- „bet tamen judicialis strepitus diebus con- „quiescere feriatis, qui ob reverentiam „DEI noscuntur esse statuti, scilicet diebus „Dominicis cæterisque solemnitatibus, „quas universalis Ecclesia, vel singuli „Episcopi in suis Dicecesibus duxerint „venerandas. Quibus (nisi necessitas ur- „geat,

„geat,

» geat, vel pietas suadeat) usque adeò con-
 » venit ab huiusmodi abstinere, ut consen-
 » tientibus etiam partibus nec processus
 » habitus teneat, nec sententia huiusmodi
 » diebus promulgata; licet diebus feriatis,
 » qui gratiâ videmiarum vel messium ob
 » necessitates hominum indulgentur, pro-
 » cedi valeat de partium voluntate.

3. *Quomodo observanda sint feriae sacrae
 quoad vacationem ab operibus servilibus
 & auditionem Missæ? Vide in Nucl. Theol.
 Exam. 19. n. 1. & 2. Item de Feriis Nuptia-
 rum Exam. 29. n. 1.*

TITULUS X.

De Ordine Cognitionum.

I. **P**ER ORDINEM COGNITIONUM in præsen-
 » venit modus & ordo servandus à Ju-
 » dice in examine quæstionum in eodem ju-
 » dicio circa easdem personas concurrenti-
 » tium; pro quo à DD. statuuntur tres se-
 » quentes regulæ:

2. **REGULA PRIMA:** *Quotiescunque
 una causa pendet ex alia, primò cognosci
 & pronuntiari debet super causa, à qua
 altera dependet. Hinc C. 1. h. t. „ Cum
 „ quædam mulier aliquem peteret seu
 „ vendicaret in maritum testibus adhibi-
 „ tis, is verò exceptionem consanguinita-*

„tis objiceret, Pontifex respondet: Cùm
 „exceptione probatâ quæstio principalis
 „perimatur, antè esse cognoscendum de
 „ipsa, quàm ad definitionis articulum
 „procedatur. „ Ratio, quia valor spon-
 salium & matrimonii pendet à quæstione
 consanguinitatis. Item C. 3. „ Cùm Causa
 „Natalium Reginae Cypri ad Papam (ut-
 „pote quæ ad forum Ecclesiasticum per-
 „tinet) esset delata, is Regi Franciæ re-
 „scripsit, ut, si forsan Regina ipsa super
 „successione Comitatus Campaniæ quæ-
 „stionem proponeret coram eo, non au-
 „diret eandem, quousque terminata esset
 „prædicta causa Natalium, ex qua illa
 „noscitur dependere.

3. REGULA SECUNDA: *Si neutra
 causa pendeat ab altera, & utraque sit
 principalis, ita ut una non præjudicet al-
 teri, v. g. in conventionem & reconven-
 tione, prius proposita prius est tractanda.*
 Conformiter dictis sup. T. 4.

4. REGULA TERTIA: *Si una Causa
 sit principalis, & altera incidens sit præ-
 judicialis seu impediens cognitionem prio-
 ris (v. g. exceptio contra Judicem ratione
 suspicionis aut incompetentiæ, vel contra
 Actorem ratione spoli) prius tractari de-
 bet causa incidens. Unde C. 2. h. t. „ Cùm
 „Q. litem movisset contra N. super spo-
 „lia-*

„liatione bonorum; & N. vicissim obji-
 „ceret, se ab Q. esse castro spoliatum,
 „petens illud sibi prius restitui, quàm re-
 „sponderet, Pontifex respondit: Si quæstio
 „spoliationis ab N. sit objecta in modum
 „actionis ad restitutionem petendam,
 „cùm tunc sint diversæ aut mutux peti-
 „tiones se non contingentes, prius pro-
 „posita prius est tractanda, quanquam
 „utrâque simul eâdem sententiâ sit termi-
 „nanda; e contra si quæstio illa ab N. tan-
 „tùm in modum exceptionis fuit objecta
 „ad intentionem Q. repellendam, pro-
 „bationes super ipsa exceptione prius au-
 „diendæ, & eâ legitimè probatâ N. non
 „cogitur respondere super petitionibus
 „Q. donec restituatur ab ipso, cùm spo-
 „liatus spoliatori ante restitutionem non
 „cogatur ullatenus respondere. Spoliatio-
 „ne tamen in modum tantùm exceptionis
 „probatâ, non est per hoc restitutio fa-
 „cienda, sicut cùm in modum exceptionis
 „aliquod Testi crimen objicitur, ut sic
 „à testimonio repellatur, etsi crimen con-
 „tra eum civiliter fuerit probatum, non
 „ideo ipsi pœna infligitur ordinaria, sed
 „ejus duntaxat testimonio non credetur,
 „quod eâ ratione contingit, quoniam in
 „ipsum accusatio non procedit; Judex
 „enim ultra petita non judicat.

5. Ex his patet, quòd Reus super spolio conventus possit Actori opponere aliam spoliationem, vel per modum actionis, vel per modum exceptionis, prout sibi magis expedit, v. g. si ipsi magis expediat possidere rem Adversarii, quàm suam recuperare, excipiat, quia probatâ exceptione non compellitur respondere, nisi prius restituatur; si autem magis è re sua est recuperare rem suam, quâ est spoliatus, per modum actionis reconveniat actorem super spoliatione, eaque probatâ restituitur juxta *Cap. cit. & C. 4. h. t.* ubi dicitur: „Super spoliatione conventus non est contra Actorem, nisi super quæstione spoliationis reconventum, audiendus, cum restitutionis petitio in hoc privilegiata noscatur, ut ipsam intentans non cogatur ante restitutionem spoliatori respondere, quia is ab agendo, spoliatione alterius rei in modum exceptionis propositâ, repellitur. Ratio, quia privilegiatus contra privilegiatum non gaudet privilegio, hinc spolium spolio opponi potest.



TITULUS XI.

De plus Petitionibus.

1. **C**un. h. t. statuitur: „Punitur impor-
 „tunitas plus petentium, si super
 „petitione sua in iudicio persistant, in
 „quod, qui petunt amplius sine causa, in
 „expensis adversario condemnantur; qui
 „autem plus loco, ad interesse tenentur,
 „à quo amplius tempore petitur, indu-
 „ciæ duplicantur, & solvuntur expensa.
 „Porro *causâ* plus petitur, cum aliqui
 „in genere, v. g. equus indeterminate,
 „vel sub alternatione, v. g. ager vel do-
 „mus debetur, & rem in specie vel unum
 „præcisè peti contingit: *Re* autem, si de-
 „bem sint debita, & viginti petantur: *Loco*
 „verò, cum quis, non ubi convenit sol-
 „vere, sed alibi convenitur; *Tempore*
 „cum ante diem vel conditionem peti-
 „tur, quod debetur. Unde sunt quatuor
 modi plus petendi, nempe *Causâ*, *Re*,
Loco, & *Tempore*.

2. Verùm notant DD. h. t. pœnas plus
 petitionum locum non habere, si Actor
 probârit, se non malitiosè, sed iusto er-
 rore facti ductum plus petiisse.

TITULUS XII.

De Causa Possessionis & Proprietatis.

Revisis iis, quæ de proprietate, seu dominio directo vel utili, ac de possessione rerum tum corporalium tum incorporalium in Nuc. Theol. *Ex. 8.* dicta sunt.

1. Nota 1. Quia ejusdem rei possessio potest esse penes unum, & proprietas penes alterum, utriusque causam seu litem esse diversam: nam *Causa proprietatis* est, in qua principaliter agitur de rei controversæ proprietate, vel alio jure à possessione vel quasi possessione distincto, v. g. si quis petat sibi adjudicari rem ab altero possessam, vel jus eligendi, præsentandi, vel conferendi beneficia, jus servitutis &c. diciturque *judicium petitorium*. *Causa possessionis* est, si principaliter agatur de possessione vel quasi possessione, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda, diciturque *judicium possessorium* seu *momentum*, non quòd absolvatur momento, sed quia causa possessionis naturâ suâ apta est momento, i. e. brevi tempore peragi, neque diu duratura est apud possessorem, si de proprietate Actor docuerit.

2. Nota 2. Remedia possessoria in jure vocari *Interdicta*, quæ sunt varia; nam

pro adipiscenda possessione potest agi vel Interdicto *Quorum bonorum*, sic dicto a primis verbis Edicti Prætoriani, quod competit hæredi ad capiendam hæreditatem nunquam habitam contra alium possessorem; vel Interdicto *Quorum Legatorum*, quod datur hæredi contra Legatum propriam auctoritate capientem Legatum, quia hoc debet ab hærede petere vel Interdicto *Salviano*, sic dicto ab Auctore suo Salvio Juliano, quod competit Domino seu locatori prædii rustici vel urbani in bona, quæ conductor vel colonus prædio intulit, & pro pensione obligavit, non solum adversus colonum, sed etiam contra tertium possessorem, si colonus ea extulit & alienavit. Si pro recuperanda possessione, ut, si possessor timeat se in ea turbandum, potest se munire Interdicto Judicis *Ut possidetis* respectu immobilium, vel Interdicto *Utrouvi*, respectu mobilium. Si pro recuperanda possessione, potest agi Interdicto *Unde vi* quoad immobilia, vel Interdicto *Vi bonorum raptorum* quoad mobilia, de quibus *Tit. seq.*

3. Nota 3. Quamvis *L. naturaliter de acquir. poss.* dicatur, quod proprietas nihil habeat commune cum possessione, ut iudicium possessorium possit seorsum

intentari absque petitorio & econverso; causæ tamen ita sunt connexæ, ut utrumque cumulari possit, v. g. si quis producat actus possessorios factæ præsentationis ad beneficium vacans, & simul titulum ex fundatione vel dotatione ad probandum jus. Notant tamen DD. consultius esse agere super possessione, quæ est facilior probationis, quàm super proprietate; ipsaque possessio relevat ab onere probandi, & transfert illud in actorem saltem regulariter; nam si actor intentionem suam habeat fundatam in jure communi, ut Parochus quoad jus decimandi in sua Parochia, conferendi Vicariatum Ecclesiæ filialis, &c. aliâ probatione non indiget, sed possessori incumbit onus etiam probandi titulum v. g. privilegii aut præscriptionis. Hoc Tit. decernitur, quo ordine & modo causa possessionis & proprietatis sit discutienda, & quidem

4. l. In Decret. c. 1., Legali provisione decretum est tam momenti i. e. possessionis quàm proprietatis causam sub uno eodemque Judice per se debere cognosci. Dicitur *per se*, quia si de utraque cognoscere nequeat, v. g. si Clericus conveniat laicum; turbantem ipsum in possessione Beneficii vel perceptionis Decimarum,

super solo facto coram Iudice sæculari
hic de proprietate seu jure utpote causa
spirituali cognoscere nequit.

5. C. 2. „Si Iudices super possessione
„ & proprietate commixtim audiant alle
„ gationes & attestationes, sed super pro
„ prietate sint minus liquidæ, licitè super
„ causa possessionis liquida pronuntiant
„ dilatâ interim causâ petitorii. C. 3. C. 4.
„ Clerici Urbis S. per testes sufficienter
„ ostendissent, quòd trium Episcoporum
„ electionibus interfuissent, & ultima elec
„ ctio iis exclusis facta fuerit, petentes eam
„ infirmari, Pontifex præmissam electio
„ nem decrevit irritandam, & Clericos
„ quasi possessionem juris eligendi re
„ duxit. Cùm autem in quæstionem juris
„ deductum, quòd juxta Canones electio
„ Episcoporum ad Ecclesiarum Cathedralium
„ lium Canonicos regulariter pertinet
„ seclusâ consuetudine speciali, neque
„ eo, quòd Clerici antedicti ter electionibus
„ interfuerint, jus eligendi propter brevita
„ tatem temporis ad præscriptionem re
„ quisiti acquirere potuerint, Pontifex Cano
„ nicos à Clericorum impetitione super
„ electionibus faciendis duxit absolven
„ dos, Clericis super hoc silentium per
„ petuum imponens.

6. C. 6. „ Cùm super possessorio & petitorio

„torio simul est actum, utrumque unâ
 „sententiâ debet terminari; sed licet in
 „pronuntiatione sit possessio præmitten-
 „da, in executione tamen debet proprietas
 „prævalere. Unde quamvis tunc una sit
 „sententia, quatenus uno tempore conti-
 „nuo & in eodem scripto fertur, est tamen
 „virtualiter duplex, quia super diversis cau-
 „sis; ac si tunc una pars vincat in possesso-
 „rio, altera in petitorio, possessio quasi mo-
 „mentanea illi adjudicatur, (nec tenetur
 „de casu aut fructus bonâ fide tempore li-
 „tis perceptos & consumptos restituere)
 „quam tamen mox proprietas absorbet.

7. Denique C. 7. „ Cum ab Episcopis U.
 „ sine reclamatione Canonorum, Archi-
 „ diaconatus duobus Archi - Diaconis
 „ continuè fuerat assignatus, Pontifex Ar-
 „ chi-Diaconatum jam Tertio ab Episco-
 „ po collatum adjudicavit, eidem, Cano-
 „ nicis perpetuum silentium imponens,
 „ reservatâ tamen Caonicis quæstione
 „ proprietatis super collatione ejusdem,
 „ cum res inter alios acta non debeat eis
 „ præjudicium generare. Ratio, quia obti-
 „ nens beneficium etiam stante lite ab eo, qui
 „ est in quasi possessione præsentandi vel
 „ conferendi, præferendus est obtinenti il-
 „ lud ab eo, qui postea in petitorio jus evicit,
 „ cum non deceat beneficia diu vacare.

8. II. *In Clement. c. un. b. t.* decernit Pontifex: Causâ beneficiâ per appellatorem ad Sedem Apost. legitimè devolutâ, tam appellanti quàm appellato licet non solum petitorium, sed etiam possessorium intentare; & potest spoliatus ante conclusionem in causa, suspenso petitorio, solum possessorium prosequi, & que in spoliantis odium.

9. Pro fine observa ex *Engel b. t.* si duo litigent super possessione, v. g. venandi in eadem sylva, vel piscandi in fluvio, & utriusque partis rationes sint æquales, in summario à Judice formandum decretum: *Ut possidetis, ita possideatis*; Si vero tunc sit periculum armorum & cædium, poterit interea Judex possessionem sequestrare, & utrique adimere, usque dum alteruter in ordinario possessorio vel petitorio vicerit, vel inter eos fuerit facta transactio.

TITULUS XIII.

De Restitutione Spoliatorum.

1. Cùm plerùmque eveniat, ut legitimus possessor injuriâ adversarii possessione spoliatur, Legum Conditores tranquillitati Reip. consulentes, ne singulis permittatur sibi jus dicere, alienâque

possessions propriâ auctoritate invadere, spoliatis de celeri remedio seu Interdicto *Unde vi* providerunt, per quod spoliatus ante omnia restituitur, probatâ possessione & spoliatione; ut per varia capita h. t. decernitur, & spoliator, spoliatione per modum exceptionis propositâ, ab agendo repellitur, juxta dicta sup. *Tit. 10. Reg. 3.* specialia h. t. statuta sunt in Decret.

2. I. *In Decret. c. 2.* rescribit Pontifex: „ Quia non est verisimile, quòd spontè juri „ suo renuntiaverit, qui jam spoliatus re- „ nuntiat, ideo testes, quibus H. intendit „ probare, quòd violenter Ecclesiâ fuerit „ spoliatus, sunt admittendi; non verò „ testes alterius partis de renuntiatione „ spontaneè facta. C. 5. super illa quæ- „ stione, cum quis dicit, se de possessione „ violenter ejectum esse, & Adversarius „ dicit, eum non fuisse Canonicè institu- „ tum, respondet Pontifex, prius de vio- „ lenta ejectione, quàm de Canonica insti- „ tutione agi debere, quia prædo etiam est „ secundum vigorem juris restituendus; „ dummodo non sit notorius, aut rem spo- „ liatam per intervallum occupaverit, tunc „ enim spoliatus non potest per violen- „ tiam rem recuperare, sed per Inter- „ dictum: *Unde vi* coram Judice experiri „ debet; quamvis possit violentum spolia-
torem

torem

torem vim vi repellendo statim seu intra
tempus Judicis arbitrio definiendum rur-
sum ejicere.

3. C. 6. „ Cùm quis dicit, se de possessio-
„ ne ejectum, vel Adversarium clam pos-
„ sessionem intrâsse, & Adversarius ei cri-
„ men objicit, illius objectio non debet ad-
„ mitti, vel executio principalis causæ
„ propter hoc retardari, quia criminaliter
„ adversus eum agere non potest, cùm
„ ipsum constet inimicum ejus existere.
Circa quod notant DD. si v. g. Titio ab-
sente alius clam occupet domum vel fun-
dum, & Titius reversus ab occupatore re-
pellitur, vel timet, se vi repellendum, tunc
prius Interdicto *Unde vi* Titius agere pos-
sit; item quòd spoliator possit spoliato ob-
jicere crimen, ob quod repellitur ab agen-
do, v. g. quòd sit excommunicatus, vel
quòd sit incapax possessionis, ut si repe-
tenti beneficium objiciatur, quòd non sit
Clericus, quia Clericatus est fundamen-
tum possidendi beneficium, &c. nam si tale
in continenti probetur, spoliatus non resti-
tuitur; secus est de objectione criminis
quod non privat potestate agendi; vel de-
fectûs, qui privat capacitâ possidendi.

4. C. 13. „ Cùm mulier G. postulare
„ separari à viro suo, eò quòd illi quarto
„ consanguinitatis gradu esset conjuncta,
„ idque

„ idque in continenti probare vellet, sed
 „ vir postulabat, prius eam sibi restitui,
 „ cum ab ipso propriâ temeritate discesse-
 „ rit. Re ad INNOC. III. delatâ respondit:
 „ Prius, faciendam esse restitutionem con-
 „ jugis quoad cohabitationem, sed quoad
 „ thorum seu commixtionem carnalem
 „ restitutio differenda, donec receptis pro-
 „ bationibus causa super valore matrimo-
 „ nii terminetur; quòd si mulier non ha-
 „ beat probationes in continenti paratas,
 „ sed dilationes expectat longiores, quia
 „ præsumitur contra eam, quæ sine iudicio
 „ Ecclesiæ suâ tantum temeritate recessit
 „ à viro, ad restitutionem plenariam Ec-
 „ clesiasticâ debet censurâ compelli, quam
 „ tamen ipsa thori negando consortium
 „ debet humiliter tolerare; nam si confan-
 „ guinitatis habet notitiam, non potest
 „ huiusmodi viro sine mortali carnaliter
 „ commisceri; quia, quidquid fit contra
 „ conscientiam, ædificat ad gehennam, de
 „ quo vide Nuc. Theol. Exam. 31. n. 1. §. Idem.

5. C. 18. „ Cum Jure Civili cautum sit,
 „ ut spoliatus contra spoliatorem tantum,
 „ non contra alium possessorem Interdicto
 „ recuperandæ possessionis agere possit;
 „ & ita sæpe contingat, ut spoliatus com-
 „ modo possessionis amisso, propter diffi-
 „ cultatem probationum juris proprietatis

„ amit-

„amittat effectum; hinc non obstante Ju-
 „ris Civilis rigore sancitur, ut si quis de
 „cætero rem talem scienter receperit, cum
 „spoliatori quasi succedat in vitium, con-
 „tra possessorem hujusmodi spoliato per
 „beneficium restitutionis succurratur.
 Quod dicitur non quidem Interdictum
Unde vi, utpote quod velut merè perso-
 nale datur tantum contra spoliantem
 ejusve heredem, si rem spoliatam actu
 habeat; sed *condictio ad rem ex Cap. cit.*
 seu actio à lege concessa ad recuperandam
 rei spoliatae possessionem à malæ fidei de-
 tentore probatâ spoliatione, estò non pro-
 batâ proprietate; quæ aliàs probanda ve-
 nit in rei vindicatione contra eum, qui
 bonâ fide rem possidet, ignorans eam esse
 violenter ereptam.

6. II. C. 2. in 6. h. t. rescribit Pontifex:
 „Canonicis non debere restitui decimas,
 „quas infra Parochiam Clerici B. se pos-
 „sedit, iisque à Clerico B. spoliatos af-
 „ferebant, nisi evidenter docuerint, quod
 „possessionem earum legitime affecui-
 „fuerint; præsumi enim injustam occu-
 „pationem, cum proveniant ex prædiis
 „alienæ Ecclesiæ; decimæ autem com-
 „muni jure ad eandem Ecclesiam perti-
 „neant. Ex quo DD. deducunt hanc Re-
 gulam: *Agens restitutorio judicio contra*

eum, qui jure communi juvatur, debet docere de Titulo possessionis acquisitæ. Hinc isti Canonici contra Parochum B. debebant ostendere Titulum compositionis, præscriptionis vel privilegii, &c. vi cujus acquisierint possessionem decimarum in aliena Parochia.

TITULUS XIV.

De Dolo & Contumacia.

DOLUS potest esse bonus vel malus. Bonus est solertia, quâ quis machinatur aliquid adversus hostes, ut fraudes vel injurias eorum excludat. Malus, de quo in præfenti, est omnis calliditas, fallacia vel machinatio ad circumvenendum, fallendum vel decipiendum alterum adhibita. *Calliditas* committitur tacendo vel dissimulando, quod de jure erat exprimendum, v. g. si venditor non detegat occultum vitium mercis, de quo in Nuc. Theol. *Ex. 15. n. 4. §. 3.* vel quis obtineat litteras posteriores à Papa non faciendo mentionem priorum, quod *c. 2. b. 1. & Tit. de Rescrip.* vocatur malitia & dolus, quæ nulli patrocinari debent. *Fallacia* decipiendo mendaciis, ut si venditor falsò dicat, fundum nulli esse obnoxium obligationi vel servituti. *Machinatio* factis
five

five occultis insidiis. Quandonam dolus irritet contractum, vel eum faciat irritabilem? Vide in Nuc. Theol. *Ex. 13. n. 3. §. 2.* Decepto per dolum competit contra decipientem *Exceptio doli*, si hic exigat, ut deceptus stet contractui; vel *actio de dolo* ad rem suam recuperandam, (quia dolus alterius alteri nocere non debet) modo dolus per præsumptiones & indicia probetur.

2. CONTUMACIA est inobedientia erga Judicem commissa à Reo vel Actore, si post tres legitimas citationes, vel unam peremptoriam, sui copiam per se vel responsalem in iudicio facere contemnat. Si Reus sit contumax ante litem contestatam, punitur immissione Actoris in bona Rei dicto modo suprâ *Tit. 6.* nequit tamen procedi ad sententiam definitivam, nisi sit causa privilegiata, v. g. beneficialis vel matrimonialis, quæ summarie etiam sine litis contestatione cognosci, ac, si de causa liqueat, decidi potest; imò lite contestatâ ob contumaciam Rei, si de meritis causæ liqueat, quævis causa potest sententiâ definitivâ terminari, juxta *c. 4. h. t.* Econtra si Actor sit contumax, vel Reus perpetuò absolvendus est ab impetitione Actoris quoad causam intentatam; vel ad instantiam Rei etiam ante litem ab Actore

contestatum, i. e. si Reo in absentia Actoris comparente & contenta libelli negante, Actor nullam probationem actionis proferat, & sic nullo facto litem contestetur, (quamvis tunc, ut notat *Gonz. h. t.* de rigore juris lis sit contestata) receptis testibus Rei juxta *c. 3. h. t.* ad proferendam sententiam procedi potest. Ratio, quia à principio in potestate Actoris erat agere vel non agere; non item in potestate Rei, qui invitatus convenitur, ideoque gravior est contumacia Actoris quam Rei. Hoc Tit. statuitur

3. I. In Decret. *c. 9.* „Contingit interdum, quòd, cùm Actor ob contumaciam adversæ partis adjudicatur causâ rei servandæ possessio, propter Rei potentiam sive dolum Actor intra annum rem custodiendam nancisci non potest, vel acquisitam amittit; & sic (cùm juxta multorum assertionem verus non efficitur post lapsum anni possessor) re- portat commodum de malitia sua Reus. Ne igitur contumax melioris quam obediens conditionis existat, de Canonica æquitate sancitur, ut in casu præmissio Actor verus constituatur elapso anno possessor. Adeoque tali casu Actor juris fictione habetur pro possessore in ordine ad effectum juris, ut post annum

verus

verus possessor censeatur, si tunc re ipsa immittatur.

4. II. In 6. c. i. „ Actor in termino, ad quem citari adversarium fecit, sine legitimo impedimento non comparens, venienti Reo in expensis propter hoc factis legitimè condemnatur; neque ad aliam citationem admittitur, nisi caverit, quod in termino sit compariturus. Ratio, quia juxta R. J. 8. in 6. *Semel malus, semper præsumitur malus* in eodem genere mali, ideòque contra Actorem, qui semper tenetur comparere in termino, qui Reo præfixus, est præsumptio, quod, sicut in primo termino non comparuit, ità nec in novo sit compariturus. *Arg. L. ff. de accus. ubi dicitur: Qui semel accusatus in judicio calumniam intulit, iterum ad accusandum admitti non debet*, quia denovo calumniaturus creditur; ideòque si Actor petat aliam citationem Rei, meritò ab ipso exigitur cautio, vel realis per pignus, vel fidejussoria, aut saltem juratoria.

TITULUS XV.

De eo, qui mittitur in possessionem causæ rei servandæ.

I. Propter Rei contumaciam Actor quandoque mittitur in possessionem bonorum

DE EO, QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM &c. 225
norum Rei, eaque MISSIO est duplex,
nempe *ex primo Decreto* : & *ex secundo*
Decreto. Hoc Tit. agitur de utraque,
licet in Rubrica tantum fiat mentio de
priori, adeoque nigrum sit generalius
rubro.

2. Per missionem in possessionem *ex*
primo Decreto rei servandæ causâ Actor
non fit verus possessor, sed solum custos
seu detentor rei, proinde fructus illius
non lucratur, sed tenetur eos in se vel in
æquivalenti, si distracti sint, unâ cum re
restituere Reo intra annum comparenti,
& cautionem in effectu (quia non sufficit
voluntas faciendi, ubi factum requiritur,
exc. j. h. t.) præstanti juxta *c. 3. sup. T. 6.*
n. 2. de stando seu parendo juri & restitu-
endis expensis. Verum juxta *c. 2. h. t.* si
per Reum non stetit, quò minus intra
annum cautionem dederit, v. g. si Judex
vel Actor oblatam nolit recipere, etiam
post annum restituendus est in possessio-
nem. Ratio, quia juxta *R. 7. 41. in 6. Im-*
putari non debet ei, per quem non stat, si
non faciat, quod per eum fuerat faciendum,
& ubi non est culpa, nec pœna esse debet.
Econtra per Missionem *ex secundo Decre-*
to post annum Actor fit verus possessor,
ita ut fructus rei lucretur, nec teneatur
perceptos restituere; si verò ex post Reus

compareat, priusquam contra ipsum fit præscriptum, potest tantum agere super proprietate, & ex Reo fit Actor, ipsique incumbit onus probandi, quod non sit debitor, vel res sit sua, cujus oppositum probandi onus prius incumberebat Actori, qui Reus ob contumaciam tunc præsumitur esse debitor, vel non rei dominus. Unde Actor solum acquirit dominium *Bonitarium*, i. e. auctoritatem in rem extraneæ nexu adhuc ligatam, (quatenus Reo intra legitimum tempus comparenti & satisfaciendi eam restituere tenetur) cum usufruendi & retinendi; non verò dominium *Quiritarium*, i. e. legitimum, justum & perfectum in rem ab omni nexu extraneo liberam, quale juncta *n. 3.* per Præscriptionem postea obtinere potest. Ita *Gons. ad T. 6. c. 3. n. 32.*

3. Notant tamen DD. *b. t.* quod Actor immixtus ex actione reali elapso anno sine novo Decreto fiat ipso jure verus possessor, possitque rem præscribere, quia jure bonæ fide eam possidet tanquam suam, & contra immixtus ex actione personali debeat per secundum Deeretum ad instantiam partis, præviâ summariâ cognitione, à Judice datum obtinere rem rei alienæ pro mensura debiti possessionem, quam præscribere vel usucapere

non potest, (nisi à Judice in solutum ipsi data fuerit) quia eam non possidet ut suam, sed ut alienam, sibi solum obligatam pignori; quivis autem satis-dando potest sua pignora recuperare. Si tamen debitor triginta annis non compareat, nec probet se nihil debere, jus suum amittit, quia per præscriptionem longissimi temporis omnis actio extinguitur; adeoque tunc potest Possessor exceptione Erimodicii, i. e. causæ desertæ, debitorem repellere, ipsamque cogere, ut vel debitum petatum solvat; vel rem immisso relinquat, prout maluerit. Hoc Titulo notandum:

4. *In 6. c. iiii.* „Eum, qui super Dignitate, Personatu vel Beneficio obtinendo „cum aliquo litigat possessore, propter „adversæ partis contumaciam in possessionem petitorum Pontifex statuit non „esse mittendum, ne ad ea ingressus pateat vitiosus; sed in hoc casu, contumace „absente, etiam lite non contestatâ negotium sine debito licet terminare. Quod ob paritatem rationis etiam locum habet in beneficio obtento. Ratio, quia juxta R. J. l. in 6. *Beneficium Ecclesiasticum sine Canonica institutione non licet obtinere,* adeoque non ob contumaciam Rei, sed solum ob probatam Canonicam sui institutionem Actori beneficium adjudicari

potest. Notat tamen *Pirrb. h.t.n.s.* in aliis causis spiritualibus posse fieri immiffionem ob contumaciam Rei, v. g. si agatur de proprietate Ecclesiæ, jure patronatus, decimis, &c.

TITULUS XVI.

Ut lite pendente nihil innovetur.

I. Rubrica, utpote continens completam orationem, stat pro regula negative posita, ut Adversario, contra quem producta, incumbat onus probandi, eam de suo casu speciali non loqui. Circa hanc Pontifex in *Clement. c.2. h.t.* expressè decernit: „Cum lite pendente nihil debeat innovari, litem quoad hoc pendere censemus, cum à Judice competente citatio emanavit, & ad partem citatam pervenit, vel per eam factum fuit, quominus ad eam perveniret; dummodo in citatione prædicta talia sint expressa, per quæ plenè possit instrui, super quibus in judicio conveniatur. Unde licet jure antiquo ad litis pendentiam requisita sit litis contestatio, jure novo litis pendere dicitur à dicta citatione usque ad sententiam definitivam, intra quæ nihil innovandum per se seu extra casus in jure exceptos; sed omnia in eo statu quo

quo fuerant tempore citationis, permanere debent.

2. Unde 1.^{mo} possessor non debet privari commodo possessionis præhabitæ juxta *C. 1. in Decret. & C. 2. h. t.* ubi consultus Pontifex, quando matrimonium accusari contingit, an statim sit carnale commercium suspendendum aut sustineri possit? Respondet: CUM ALEX. III. aperte prohibeat, ne ab invicem, donec causæ justa fiat examinatio, separentur; & SYMMACHI Papæ contineat institutum, ut Prælati aliquis accusatus, antequam ea, quæ objiciuntur, in luce clarescant, relinqui non debeat à subjectis; hinc conjugum alteruter accusatus ante probatam accusationem jure, quod habet in altero, privari non potest; putà per Judicem, quamdiu illi notoriè non constat de objecto crimine adulterii ad separationem thori, aut de consanguinitate aut nullitate matrimonii, quamvis pars nullitatis conscia parti eam ignorantem nequeat reddere debitum, juxta dicta *Tit. 13.*

num. 4.

2.^{do} Res vitio litigii affecta à Reo per se alienari non potest, illiusque alienatio vel est irrita, vel saltem irritabilis, & insuper contra eam speciales pœnæ

P 3

sta

statutæ; aut si alienata sit, sive licite v.g. in casibus à jure exceptis, aut si servando servari non possit; vel illicitè, & retrahi non possit, alia ejusdem valoris in illius locum substitui debet, ut constat ex c. 3. & 4. h. t. & res substituta tunc alienari non potest; subrogatum enim assumit naturam & conditiones ejus rei, cui subrogatur.

3.º Lite pendente jus utriusque immutari non potest, etiam per Rescriptum Principis; unde C. 4. tale obtentum in præjudicium alterius, sine mentione pendens litis censetur subreptitium, quia Princeps non censetur dare Privilegium cum præjudicio juris alterius. Quomodo in causis beneficialibus lite pendente nihil innovandum sit, decernitur h. t.

3. I. In 6. c. 1. „ Si duo in discordia electi „ ad eandem Prælaturam super electione „ inter se litigent apud Sedem Apost. vel „ alibi, & pendente lite unus ex illis mori- „ riatur, vel juri suo renuntiet, aut à pro- „ secutione ipsius excludatur, ad electio- „ nem aliam (lite super electione super- „ tis electi pendente) procedi non potest „ & electio contra hoc attentata ipso jure „ irrita est. Item C. 2. Si hi, contra que- „ super Dignitate vel Beneficio, quæ po- „ sident, litigatur, lite pendente cedant.

„vel fortè decedant seu moriantur, statuit
 „Pontifex, ut Dignitas vel Beneficium
 „hujusmodi (donec contra superstites lis
 „finita fuerit) aliis nullatenus conferan-
 „tur, nec ad ea præsententur; secus factum
 „fit irritum. Si tamen ad defensionem
 „litis aliqui, quorum interest, petant ad-
 „mitti, eos in illo statu, in quo ipsam in-
 „venerint, decernit admittendos. Ratio
 utriusque decisionis est, ne propter novos
 Adversarios lites beneficiales fiant im-
 mortales, ac lite pendente conditio alte-
 rius partis litigantis deterior fiat. Unde
 si alicujus interfit v. g. Patroni, Colla-
 toris, vel eligentium, litem ad finem per-
 duci, possunt ii causam in eodem statu,
 in quo cedens vel decedens eam reliquit,
 per se vel Procuratorem contra supersti-
 tem prosequi, nullatenus autem ad no-
 vam provisionem procedere.

4. II. *In Clement. h. t. c. 1.* statuit Pon-
 tificex: „Si duobus in Rom. Curia super
 „Beneficio sibi collato litigantibus, ibi-
 „dem mori contingat utrúmque, collatio
 „pertinet ad Pontificem; si verò extra
 „eam uterque moriatur, spectat ad Ordi-
 „narium, nisi tertius in eo jus habeat. Si
 „unus in Curia, alter extra eam moria-
 „tur, & prior erat in possessione, itidem
 „ad Papam; si alter, ad Ordinarium

„spectat collatio; si neuter ipsorum pos-
 „spondeat, Pontifex in collatione est præ-
 „ferendus. Si unus tantum decedat, & su-
 „perstes causam persequitur, (cum in-
 „terim Beneficium de jure conferri non
 „possit) ad quem collatio pertineat, de-
 „clarabit eventus; nam si ad defunctum
 „pertinuerit Beneficium, collatio ad Pa-
 „pam, si in Curia; vel ad Ordinarium
 „spectat, si extra eam sit mortuus; si ad
 „neutrum Beneficium spectârit, collatio
 „erit Ordinarii; salvâ tamen in præmissis
 „omnibus Rom. Pontificis potestate, ad
 „quem omnium Beneficiorum plena &
 „libera dispositio dignoscitur pertinere.

TITULUS XVII.

De Sequestratione Possessionum
& Fructuum.

I. **R**egula, *ut lite pendente nihil innovetur*, varias patitur exceptiones; nam juxta dicta à Judice decerni potest in odium spoliantis restitutio spoli; ob contumaciam Rei missio Actoris in possessionem bonorum; & ob causam, ut h. t. SEQUESTRATIO, quæ est rei controversiæ vel fructuum ejus apud Tertium securitatis causâ facta depositio, eâ conditione, ut ei, qui litem evicerit, sequestrata à se-
 questrare

questre restituantur; estque duplex, *Conventionalis* seu voluntaria, quæ fit ex libero controvertentium consensu; & *Judicialis* seu necessaria, quæ fit à Judice vel ex officio nobili, v. g. si una vel utraq; pars contendens se insolidum possidere ad arma veniat, vi se invicem turbando in possessione. Vel ex officio mercenario ad instantiam partis, v. g. si possessor rei mobilis sit suspectus de fuga, aut sit periculum, ne res pereat, tunc enim vendi potest & pretium loco rei sequestrari. Item juxta *C. 2. h. t. in Decret.*, „ Si missus in possessionem ex primo Decreto fructus perceptos pro suo distrahat libito voluntatis, aut ut dicitur *C. 3.* Si ab eo, qui à sententia provocat, fructus possessionis dissipentur, possunt lite pendente rationabiliter sequestrari. Verum, ut notat *Engel h. t.* in his posterioribus casibus sequestratio evitari potest, si Reus possidens offerat idoneam cautionem de rebus servandis.

2. Porro per utramque sequestrationem juxta *Gonzal. h. t.* potest in sequestrem transferri vel simplex rei custodia quasi in depositarium; vel etiam quasi possessio, v. g. Castri, cum omnibus juri- bus annexis; & hinc si tali sit annexum Jus Patronatûs, potest juxta com-
 P § mu-

234 MULIBER II. TITULUS XVII.
munio rem teste Leur. *in Foro Benef. p. 2.*
q. 53. & cæteris, sequester ad Beneficium
vacans præsentare, quamvis aliàs, si pa-
troni intra tempus ipsis concessum non
convenient super possessione Jurispatro-
natûs, collatio devolvatur ad Ordina-
rium. H. t. notabile est

3. *In Clement. c. un.* ubi statuitur: „
„contra possessorem definitiva sententia
„super Beneficio à Sede Apost. in petito-
„rio vel possessorio promulgata fuerit,
„Beneficium ipsum (dum tamen triennio
„pacificè antea ab eo possessum non fue-
„rit) per loci Ordinarium apud perso-
„nam idoneam sequestratur, quæ plenam
„de ipso curam gerens, id quod de fructi-
„bus (debitis supputatis oneribus) super-
„fuerit, illi restituat, qui finalem in causa
„victoriam obtinebit. Si ipse litigans se-
„questrationem ejusmodi impediatur, ultra
„excommunicationem jure suo, si quod
„in Beneficio habet, cadat, non obstante,
„si contra præfatam sententiam de nulli-
„tate forsan opponat. Verùm ut hæc
dispositio locum habeat, debet in Curia
esse publicata prima sententia super qua-
stione principali contra possessorem non
triennalem; si enim prima sententia fit
lata pro possessore, secunda pro petitore
contra possessorem, non fit sequestratio

uti nec, si extra Curiam ab Ordinario vel Delegato fit contra possessorem pronuntiatum. Ita *Pirrh. h. t. n. 17. & 19.*

TITULUS XVIII.

De Confessis.

1. Quia juxta vulgatum: *Propria confessio est optima probatio*, (quamvis de rigore probatio non sit, (uti nec evidentiæ facti) nisi respectu Judicis, sed tantum relevatio probationis) compilator Tit. de probationibus præmittit Titulum de confessis. Porrò CONFESSIO est duplex, judicialis & extrajudicialis. *Prior* est, quæ fit in judicio coram competente Judice, vel saltem apud Prothocollum coram Notario & duobus testibus. *Posterior* est, quæ fit extra judicium coram fide dignis.

2. Confessio *judicialis* à Reo contra se facta plenè contra ipsum probat, Actorem ab onere probandi relevat, & contra Reum sententia proferri potest; non tamen probat contra alium v. g. socium criminis, nam *C. 1. in Decret. h. t.* „Propter confessionem Presbyteri de sua foribus homicidii ab ipso perpetrati eos nulli pœnæ censet Pontifex esse subdendos, quia secundum utriusque Juris statuta, de se confessi super aliorum consortiis

„interrogari non debent; & (exceptis
 „criminibus in jure expressis) de reatu
 „proprio confitentis periculosa confessio
 „non est adversus quemlibet admittenda.
 „Si tamen tales infamiâ hujusmodi labo-
 „rent, jubet illis purgationem injungi.
 Imò confessio judicialis à Reo contra se
 facta habet vim sententiæ & rei judicatis
 in civilibus, ut juxta multos tunc sufficit
 præceptum Judicis de solvendo absque
 sententiâ; secus est in criminalibus; nam
C. 2. h. t. „Cùm C. in jure confessus fuerit
 „quòd in præstando consensu electionis
 „mediator extitit simoniacæ pravitatis,
 „Pontifex ipsum per definitivam senten-
 „tiam duxit ab omni Beneficio & Officio
 „Eccles. deponendum.

3. Verùm confessio judicialis erronea
 circa factum, si in continenti revocetur,
 aut etiam post intervallum ante senten-
 tiam; probato errore, confitenti non præ-
 judicat, ut decernit Pontifex *c. 3. h. t.* quod
 juxta *R. 7. in 6. Ignorantia facti, non juris
 excusat.* Perinde autem est, utrum con-
 fessio à Reo sit elicitâ per positiones posi-
 tivas vel negativas; nam *c. 1. h. t. in 6. sta-*
 tuit Pontifex: „Ut positiones negativas
 „(quæ probari non possunt, nisi per con-
 „fessionem adversarii) Judices admittere
 „possint, si viderint expedire; quamvis

de rigore juris non sint admittendæ, quia Actor intentionem suam probare debet, eoque non probante Reus est absolvendus. Pariter perinde est, siue confessio sit facta expressis verbis, siue interpretativè per malitiosam taciturnitatem seu absentiam contumacem, ut constat ex *c. 2. h. t. in 6.* „Si post præstitum veritatis aut calumniæ juramentum Reus positionibus Actoris à Judice jussus respondere, absque rationabili causa nolit, seu contumaciter se absentet, haberi debet super his pro confesso; secus, si, antequam respondere jussus, se absentet. *An & quando Reus à Judice legitimè interrogatus teneatur confiteri?* Vide in Nuc. Theol. *Exam. 16. n. 11. §. Dixi.*

4. Confessio *extrajudicialis* in criminalibus facit tantùm semiplenam probationem, ut contra Reum procedi possit ad torturam. In civilibus facit quandoque semiplenam, quandoque etiam plenam, v. g. si Titius præsentè adversario coram aliis fateatur, se debere Cajo centum, additâ causâ, quòd ex mutuo vel empto &c. de quibus vide *Reiffenst. h. t.*

5. Caterùm neutra confessio pro se seu in favorem sui quidquam probat; nam testi in propria causa non creditur, proceditque id ipsum, quamvis in mortis articulo

culo

culo fiat talis confessio, quâ v. g. Titius certam summam pecuniæ sibi à Cajo deberi significat; nam *L. ult. C. de conven. Fiscii debet.* ait Imp. *Iniquissimum esse perspeximus; ut sub propria annotationis manu* (seu confessione) *unusquisque sibi faciat debitorem.* Excipe, nisi sit facta annotatio in libris privilegiatis, v. g. Tutorum, Mercatorum, &c. de quibus infra *Tit. 22.*

TITULUS XIX.

De Probationibus.

1. **R**eo non confitente, sed negante intentionem Actoris, huic incumbit onus probandi in omnibus causis tum civilibus, tum criminalibus, ut etiam Judex, teste *Pirrh. h. t. n. 5.* inquirens ex officio, probare contra Reum debeat contenta seu asserta in inquisitione, quia succedit loco Accusatoris. Porro probatio, de qua *b. t.* est actus judicialis, quo per legitima argumenta de re controversa Judici fit fides, quia finis probationis est Judici fidem facere, ut possit intelligere, qualem debeat ferre sententiam.

2. Probatio judicialis duplex est, nempe *plena*, per quam Judex ita fit instructus, ut nullo alio ulterius requisito causam de finire possit, v. g. si sit probata per confes-

fessionem Rei, evidentiam facti, legitimos
 testes, instrumenta authentica, præsum-
 ptionem juris per rationes oppositas non
 elisam &c. & *semi-plena*, per quam aliqua
 fides fit Judici, sed non tanta, ut moveri
 possit ad ferendam sententiam juxta eam;
 talis est, quæ fit per unum testem, famam,
 fugam Rei, comparisonem literarum,
 (quæ dicitur *EXPENSILATIO*, teste *Gonz. b.t.*
ad c. 2. n. 6.) vel conjecturas, &c. Ob eam
 tamen potest quandoque Judex deferre
 juramentum, tum Reo purgatorium in
 criminalibus; vel litis decisivum in civi-
 libus; tum etiam Actori in causis minoris
 momenti suppletorium ad expediendam
 litem. Imò possunt duæ semi - plenæ in
 certis causis efficere plenam probatio-
 nem, v. g. unus testis & confessio extra-
 judicialis in civilibus non arduis, aut ac-
 cedente famâ aliisque adminiculis, &c.
 juxta DD. apud *Leur. b. t. q. 528.*

3. Verùm onus probandi sæpe trans-
 fertur in Reum vel possessorem conven-
 tum, v. g. si intentio Actoris pro se habeat
 præsumptionem Juris, quæ *L. Imp. 77. ff.*
de Leg. liquidissima probatio dicitur; aut
 Reus faciat exceptiones affirmativas, v. g.
 de facta solutione mutui, &c. sic enim ex-
 cipiendo affirmat, & ex Reo fit Actor,
 quia affirmanti incumbit probatio, aliis-
 que

que casibus; quamvis suam puram & simplicem negationem facti nunquam probare teneatur aut possit, cum negationis utpote non entis nullæ sint qualitates, causæ vel proprietates, per quas ostendi possit; neque per testes, quia hi debent deponere de visu vel alio sensu, sub quem non cadit negatio, hinc axioma: *Plus creditur duobus testibus affirmantibus, quam centum negantibus.* Unde si Reus neget se percussisse vel blasphemasse, hæc negatio non probatur per hoc, quòd testes dicant, se non vidisse vel audivisse ipsum percipientem vel blasphemantem; imò testis deponens super assertionem merè negativa fit suspectus de falso, ait *Pirrh. b. t. n. 8.* Dixi, *puram negationem facti*, quia positio negativa facti determinata per circumstantias loci, temporis vel modi; aut negativa juris, dum negatur aliquid de jure fieri potuisse vel factum esse, probari potest; nam qui negavit, se Augustæ primæ Maji fecisse homicidium, indirectè probat hanc negativam per testes deponentes, ipsum eâ die fuisse Viennæ; aut accusatus de homicidio facto armis sub pallio tectis, quia privatio suo modo cadit sub sensum, per testes negativam probare potest. Item qui negat consanguinitatem inter conjuges, probare potest per exhi-

bitionem Arboris Consanguinitatis; qui negat se legitimè professum, potest probare per defectum ætatis à jure requisitæ, &c. An & quando probanda qualitas positiva vel negativa? Vide in *Nucl. Theol. Exam. 23. n. 5.* Notabilia Capita h. t. sunt:

4. 1. *In Decret. Pontifex C. 1.* rescribit: „Nulli dicendum est, quæ contra se sunt. Ratio, quia Actor probationes habere debet, cum sponte provocet, cui Reus instrumenta seu arma, quibus oppugnetur, edere non cogitur; quod tamen fallit in variis casibus, quibus editio instrumenti per Edictum *de edendo*, vel per subsidiariam actionem in factum peti potest, ad quod Judex decernit *Compulsoriales*, vi quarum omnes interesse habentes libros & instrumenta edere coguntur. C. 2. „Reprobat consuetudinem, „ut illi, qui intentionem suam plenè probavit, juramentum nihilominus defertur, quia ad illud in defectum aliarum legitimarum probationum demum recurrendum est.

5. C. 3. statuit Pontifex: „Judicium finium regundorum (idem est de Familia *Ersciscundæ*, seu hæreditate dividenda aut communi dividundo) tale esse, ut in eo utraq; persona habeat vicem Actoris & Rei, ideóque hinc inde

Q

„ testæ

„ testes produci posse, ex quibus eos, qui
 „ præcellunt, Judex admittit; si vero
 „ utriusque partis testes sint æquè idonei,
 „ possessoris testes præferri debent, quia
 „ jura sunt promptiora ad absolvendum
 „ quàm ad condemnandum; dari autem
 „ possessori in causa præscriptionis proba-
 „ tionem, juris manifesti est; objiciens
 „ enim præscriptionem longissimi tem-
 „ poris, (quam nemo rectè objicit, nisi
 „ qui possidet) si eam probaverit, causam
 „ obtinet. Et C. 4. Censet juramento pu-
 „ læ proponentis, se nec à viro cognitam
 „ nec potuisse cognosci, & testimonium
 „ septem mulierum, quæ ipsam per ex-
 „ perientiam (i. e. inspectionem ventris
 „ asseverant adhuc esse virginem, fidei
 „ potiùs adhibendam, quàm juramentum
 „ viri contrarium asserentis; quia tum
 „ plenior est probatio mulieris cum testi-
 „ monio obstetricum in arte peritarum
 „ visu testantium.

6. C. 5. „ Cùm quidam Regularis
 „ sigillo Capituli cuidam amico instru-
 „ mentum, quo alienatio rerum Ecclesi-
 „ immobilium tanquam ei facta contineretur,
 „ batur, consignasset; lite exortâ Proc-
 „ rator assererat, illud de assensu Conven-
 „ tûs non esse collatum, & sic sigillum
 „ adulterinum, vel furtivum esse; insuper

fratres jurati dicebant, quòd tempore
 „dati instrumenti, quotiens de re ista inter
 „fratres mentio erat, vox fuit unanimes,
 „quòd alienationem nollent; & Adver-
 „sario nullos testes pro se producente,
 „respondet Pontifex, non secundum in-
 „strumentum, sed secundum assertionem
 „testium duntaxat censendum esse. Unde
 instrumentum per testes, etiam Clericos
 in favorem suæ Ecclesiæ, convinci potest
 falsitatis.

7. C. 8. „Cum A. condens testamen-
 „tum filium M. sibi instituit hæredem &
 „præcepit, ut, si absque liberis fortè de-
 „cederet, ad fratres Testatoris bona de-
 „volverentur. Verùm dictus M. se & sua
 „Monasterio C. obtulit oblatione jura-
 „mento firmatâ, eoque mortuo fratres
 „repetebant bona, eò quòd M. fuisset
 „minorennis, & absque liberis decesserit.
 Re ad Papam delatâ respondit: Minor
 „annis potest duobus modis intelligi, vi-
 „del. minor xiv. annis, & qui xxv. minor
 „fuerit, & infra xxv. annum tenet dona-
 „tio, præsertim juramento firmata; ne-
 „que intelligendus est sine hærede dece-
 „dere, qui Monasterium sibi instituit hæ-
 „redem. Ex quo *Gonz. ad h.c.* ait: Favore
 Causæ piæ ex conjecturata mente Testa-
 toris conditioni: *Si sine liberis*, subintel-

ligendam aliam: *Nisi heres gravatus religionem profiteatur*, ut tunc substitutus extraneus v. g. patruus excludatur; secus si esset substitutus alter filius Testatoris, aut etiam alia Ecclesia vel locus pius, qui in pari causa melior est conditio illius, qui expressâ nititur Testatoris voluntate; aut si Testator expressè exclusisset Monasterium, casu quo filius profiteretur, qui contra expressam voluntatem non admittitur conjectura.

8. C. 9. „In Causa vertente inter R. & F. super jurisdictione atque districtu in villa B. cum testes numero plures deposuissent, quod R. à LX. annis & citra villam B. possederit, qui etiam iustum possessionis titulum ex privilegiis Imperatorum ostendit; econtra testes pauciores & levis opinionis ab F. producti testati essent, quod incolæ villæ B. à LX. annis & citra ei exhibuerint servitia iuribus (i. e. vexillis, quæ Banderæ dantur, ipsius F. sub quibus nomen dantur debuerint) & placitis seu jurgiis, fossatis & cavalcatis (i. e. excubiis, quæ fiunt cum equis) & cæteris pertinentibus districtum, non tamen titulus possessionis justificativus adducebatur; respondit Pontifex: Cum duo simul eandem rem & eodem modo insolidum possiderent

„possint, & constet dictum F. minus juste
 „ac sine titulo ea servitia extorsisse, adeo-
 „que in hoc casu non sit locus Interdicto:
 „*Uti possidetis, ita possideatis*, cum rationes
 „R. sint potiores, huic possessorium ad-
 „judicavit, prohibens dicto F. ne super
 „his eum aliquatenus molester. Unde an-
 „tiquior possessio cum titulo enervat po-
 „steriorem possessionem sine titulo ac-
 „quisitam.

9. C. 10. Cum T. ex concubina, quam
 „septennio habuerat, prolem non susce-
 „pisset, ac ipsa postmodum divertens ab
 „eo, ad ipsum post non multum temporis
 „rediisset, & filium R. peperisset, quem
 „ex eo asseruit se suscepisse, & mulieris
 „devictus instantiâ eum suum filium re-
 „cognovit, & filius dicti T. nominatus
 „communiter fuit & habitus ab ambobus,
 „licet postea mulier sub juramento affir-
 „marit, se de alio quàm dicto T. fatum R.
 „suscepisse; respondit Pontifex, quòd
 „ejusdem mulieris jurationi non est stan-
 „dum, cum nimis indignum sit juxta legi-
 „timas sanctiones, ut quod suâ quisque
 „voce dilucidè protestatus est, id in eun-
 „dem casum proprio valeat testimonio in-
 „firmare, ideòque dictus R. neptem T.
 „cujus præsumitur esse consobrinus, ha-
 „bere non potest in uxorem. Ratio, quia

licet ex parte matris probatio filiationis possit esse vera & certa, ex parte patris non alia haberi potest quam præsumpta ex conjecturis & præsumptionibus, quæ in casu posito velut sufficientes agnoscuntur.

10. II. *In Clement. c. un.* ait Pontifex „Literis Apost. quibus Pontifex dignitates quaslibet collationi suæ se reservasse, aut resignationem beneficii alicujus receperisse, aut aliquem familiarem suum fuisse, vel alia similia, super quibus gratia vel intentio sua fundatur, se fecisse, narrat, super sic narratis fidem plenariam adhibendam; quia æquum est, ut credatur attestationsi literarum Vicarii Christi, nisi sub - aut obreptio deprehendatur. Dicitur: *Super quibus intentio fundatur*; quia *Clement. c. 4. de sen. ex comm.* „Si Papa aut Princeps quempiam sub titulo cujuslibet dignitatis ex certâ etiam scientia (multò magis si id fiat ex ignorantia vel per suggestionem supplicantis) verbo, constitutione vel literis nominet, honoret, seu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsius approbare non intelligitur, aut quidem quam ei tribuere novi juris; quia super talibus non fundatur intentio Papæ, seu talia non fiunt ad concedendam vel appro-

probendam dignitatem illam, sed incidenter solum similia narrantur vel fiunt.

Ita Reiff. *h. t. n. III.*

TITULUS XX.

De Testibus & Attestationibus.

Post titulum de probationibus in genere agit compilator de probationibus in specie, & quidem primo loco de probatione per TESTES, eo quod sit efficacior aliis, quæ fiunt v. g. per instrumenta, præsumptiones, juramentum, &c. Circa testes *Jure Canon. h. t.* statuuntur sequentia:

2. I. In *Decret. c. 1.* placuit sancto Conventui: „ut testes pretio non conducantur, & ut idonei & fideles assumantur, quibus nulla potest inferri calumnia; & nullus testimonium dicat, nisi jejunus; sed hoc est de honestate, non de necessitate. C. 2. „Testimonia non dicantur, nisi illo, contra quem dicuntur, admonito, ut veniat & audiat testes; si verò venire contempserit, testimonia ita valeant, ac si ipso præsentem facta fuissent. Ast huic Canonì videtur derogatum.

3. C. 3. „Cum Pontifici de Presbytero E. quædam facinora essent nuntiata, jussit seu mulieres, cum quibus peccasse dicatur,

„citur, seu alios causæ conscios ad testi-
 „monium ferendum adduci, ut liquide
 „possint aperiri, quæ vera sunt. Unde
 „quandòque etiam mulieres testari pos-
 „sunt, præsertim in causis, quæ altas
 „sunt difficilis probationis, sed plenam
 „fidem non faciunt, ut ait *Gonzal. T. 1.*
 „ad C. 1. n. 10. Et C. 6. „Licet Prælato
 „& Clericis in causis Ecclesiæ suæ fer-
 „re testimonium; verum ex iis infi-
 „tuti ad agendum & respondendum
 „non debent ad testimonium admitti.
 Ratio, quia tales non sunt testes in
 propria causa, cum aliud sit jus Uni-
 versitatis, & aliud jus singulorum.

4. C. 10. „Cum duo testes jurati de-
 „posuissent, Presbyterum L. non ha-
 „buisse Canonicum ingressum in Eccle-
 „siam, eò quòd prius promississet Pare-
 „chianis certum quid remittere, quod
 „dare consueverant; & alter testis pe-
 „ctum illud secum factum profiteretur,
 „respondit Pontifex: Testem, qui eo-
 „dem erat infectus crimine, non po-
 „tuisse contra L. testificari, eò quòd
 „nulli de se confesso adversus alium in
 „eodem crimine sit credendum, & al-
 „terius utpote unius testimonium non
 „sufficere ad condemnationem. C. 1.
 „In omni causa criminali vel civili te-

„stes, quibus ab adversa parte crimi-
 „na opponuntur, si de iis etiam antè
 „non sunt convicti vel confessi, dum-
 „modo inde convincantur, non de-
 „bent admitti. C. 14. Laici in accusa-
 „tionem vel testimonium contra Cle-
 „ricum non sunt admittendi in causa
 „criminali, nisi fortè suam vel suo-
 „rum injuriam prosequantur; nec tunc
 „etiam ad testimonium, sed ad accu-
 „sationem possunt admitti. Putà, si
 „per alios testes veritas haberi possit.

5. C. 15. „In Causis Ecclesiasticis
 „vel Civilibus ultra tertiam productio-
 „nem non debent testes produci, nisi
 „adhibitâ quâdam solemnitate, i. e. jux-
 „ta C. 55. h. Tit. Præstito juramento,
 „quòd illos antea ignoraverit, & abs-
 „que dolo quartam productionem ex-
 „poscat, sed quòd prius illos habere
 „nequivit. C. 20. Non vult Pontifex,
 „ut aliquando morbo consimili labo-
 „rantes (i. e. similem causam habèn-
 „tes) si certum sit, aut legitimè pos-
 „sint convinci super his, si ab al-
 „terutra parte adducti fuerint, in te-
 „stimonium recipiantur. Unde ut no-
 „tat *Pirrhing h. Tit. num. 80.* uti testes,
 „ita & Judex ut suspectus recusari po-
 „test, si cum altero similem Causam

habeat. Item si in rixa plurium unus sit occisus, & non liqueat, quis lethale vulnus inflixerit, unus ex illis non potest per alios testes socios probare se innocentem.

6. C. 21. „ Testimonium Christianorum adversus Judæos in omnibus causis recipiendum est, (non obstante Principum privilegio Judæis concessio, quia id juri contrarium & Christianæ Religioni opprobriosum est, ut dicitur in *Clement. c. 1. h. t.*) cum illi adversus Christianos testibus suis uti præsumant, scilicet de facto, non de jure, ut ait *Gl. hic*. Ex quo certum est juxta *Gonz. ad h. c.* Judæos, utpote Christiani nominis hostes, testimonium contra Christianos in judicio dicere non posse, cum tanquam infames contra Christianos nec ut Advocati admittantur, nec ipsos accusare valeant: multo minus ad juramentum probatorium aut suppletorium, seu litis decisorium admitti possunt, (quidquid sit de hodierna consuetudine, quæ corruptela potius videtur dicenda) quia, ut cum aliis tradit *Greg. Tholos. in Syntagm. Jur. univ. L. L. c. 10. n. 13.* moderni sæculi Judæi ex suo pessimo *Talmud* sibi superstitione persuadent, omnia sua juramenta & vota, quæ faciunt per totum annum, esse sine vi & efficacia, si ultimâ die anni surgentes dicant: *Que-*

cunq̄ue promissiones, juramenta vel vota,
que fecero in toto anno sequente, cassa,
nullaque & vana sint; & dein quâdam die
 anni coram suo Rabino tenente *Torat*, i. e.
 volumen legis in ulnis, prædicta verba
 impia proferant, quibus dictis nullum
 peccatum se committere putant, si Chri-
 stianos fallant. N. D. In judiciis servanda
 est æqualitas, *c. 2. de mut. petit.* ergo si
 Christiani non recipiant Judæos in testes
 contra se, ita nec ipsi contra Judæos reci-
 pi debent. *Nam R.* quòd æqualitas ista,
 quæ requiritur in judiciis, respiciat per-
 sonas Actoris & Rei, ita ut regulariter
 non liceat Actori, quod non licet Reo,
 juxta *R. 7. 32. in 6.* non verò respiciat per-
 sonas testium; aliàs sequeretur, quòd
 fide dignus, qui non recipit contra se in
 testem, qui est criminofus vel excommu-
 nicatus, nec ipse contra illum in testem
 recipi posset, quod foret absurdum. Quod
 dictum de testimonio Judæi contra Chri-
 stianum, extendunt DD. ad testimonium
 hæretici, qui à fide defecit (præsertim in
 locis, ubi non sunt tolerati, seu viget in-
 quisitio) contra Catholicum, quia non
 potest erga homines esse fidelis, qui Deo
 extiterit infidelis. Verùm Judæis non est
 interdictum testimonium contra Chri-
 stianos in criminibus exceptis, v. g. læsæ

Majestatis, hæresis, &c. aut contra alios Judæos, contra quos admitti possunt ad juramentum suppletorium in civilibus, aut etiam ad purgatorium in criminalibus, edendum ab ipsis juxta formulam à Camera Imperiali præscriptam.

7. C. 22., „Consultus Pontifex, an mulier
 „non sit conjungenda viro, quia sola ma-
 „ter alterutrius eos esse consanguineos
 „confitetur? Respondet, si matrimonium
 „nondum sit firmatum, matris testimonio
 „esse deferendum, quia præsumptio est
 „non modica, quòd subsit consanguinitas;
 „si verò est firmatum, non debet line plu-
 „rium juramento dissolvi. C. 23. Licet
 „quædam sint causæ, quæ plures quam
 „duos exigant testes; nulla tamen est cau-
 „sa, quæ unius testimonio terminetur. Pa-
 „tet ex Deut. 17. In ore duorum vel trium
 „peribit, qui interficietur; nemo occida-
 „tur uno contra se testimonium dicente.
 „Item ex illo Christi Matt. 18. & Joan. 8. In
 „ore duorum vel trium testium stat omne
 „verbum, putà abnegativè, i. e. non pau-
 „ciorum. Varii tamen sunt casus apud
Reiffenst. b. t. n. 258. in quibus uni testi legi-
 timo ac jurato plenè creditur, v. g. quando
 favet ei, pro quo fit, & nulli præjudicat, ut
 quòd aliquis sit baptizatus aut Clericus
 &c. Item quando agitur de impediendo
 pec.

peccato, & simul nondum jus aliquod fuit alteri quæsitum, ut in casu *Cap. præc.*

8. C. 24. „Cum N. per septennium in
 „domo tenuisset uxorem, & post affere-
 „bat, se ante matrimonium consobrinam
 „ejus cognovisse, productis tribus testibus
 „de familia sua; respondit Pontifex, pro
 „illorum testimonio illum neutiquam esse
 „ab uxore separandum. Ratio, quia testes
 de familia pro Patre-familias non sunt
 integri & omni exceptione majores, quan-
 quam tales sæpe in subsidium, si aliorum
 testium copia desit, producantur, v. g. in
 factis & delictis domesticis. C. 27. Rescribit
 Pontifex: „Cum quis accusatur aliquam
 „cognovisse, si testimonium conveniens
 „de visu reddatur vel auditu, & præsum-
 „ptionem violentam fama consentiens
 „subministret, & adminicula legitima ad
 „hoc impertiantur, standum esse jurato-
 „rum testimonio. Notant tamen *DD. ad*
hoc Cap. Licet aliàs testimonium de audi-
 tu proprio per se sit sufficiens, in hoc ta-
 men casu, estò testes deponant, se audivisse
 eos colloquentes de proposito fornicandi,
 vel per parietes strepitus actui venereo
 non ab similes, id non sufficere, quia actus
 copulæ non percipitur sensu auditûs; se-
 cus, si de visu successivo per foramen eo-
 dem tempore testentur.

9. C. 31. „Si quis post depositiones testium jam publicatas velit in personas eorum objicere, ei tunc tandem liceat, cum juramento firmârit, quòd ad hæc ex malitia non procedat, nisi forsitan ostendere possit, quòd post publicationem didicerit, quòd objecit in personas. C. 32. Si testes inter se contrarii utrimque producti ejusdem honestatis & existimationis extiterint, testes numero plures præferendi numero paucioribus; si verò testes ex una parte producti tantæ præeminentiæ fuerint, quòd eorum auctoritas aliorum sit merito multitudini præferenda, (quia ad multitudinem tantum respici non oportet, sed ad testium qualitatem & ad ipsorum deposita) juxta ipsorum testimonia sententia est præferenda.

10. C. 40. „Cum causa inter P. & F. esset delegata E. & D. idem verò P. proponeret, testimonium D. sibi necessarium esse, quòd de jure suo non nisi per ipsum & alium unicum testem fidem facere posset, Pontifex loco D. alium subrogavit, ne ob hujus testis defectum justitia valeat deperire. Ratio, quia in eadem causa idem nequit esse Judex & testis, sicut nec Judex in propria causa.

C. 51. rescribit Pontifex: „Nullius testi-

„monio, quantumcunque Religiosus
 „existat, (nisi juratus deposuerit) in
 „alterius præjudicium credi debet, nisi ut
 „dicitur *c. 39. h. t.* juramentum à parte re-
 „mittatur adversa; putà spontè & expres-
 „sè, quia tacita remissio non sufficit. Vide
T. 7. n. 5.

II. II. In *6. c. 1. h. t.* statuit Pontifex:
 „Mediatores Simonix contra sceleris
 „ejusdem auctores in detestationem cri-
 „minis admittuntur, si non agatur crimi-
 „naliter, sed civiliter, & emolumentum
 „exinde non fuerint assecuti, putà in re
 „vel in spe, uti testis contra *L. supra c. 10.*
h. t. Item *c. 2. in 6.* „In appellationis cau-
 „sa is, qui appellantis procurator vel ad-
 „vocatus in priori judicio fuerat, non
 „recipiatur in testem; nempe pro appel-
 „lante, nam pro appellato benè recipitur.

12. III. In *Clement. c. 2.* statuitur: „Te-
 „stibus ritè receptis & eorum attestatio-
 „nibus publicatis, sicut non licet super
 „iisdem articulis alios vel eosdem testes in
 „principali causa producere, sic non de-
 „bet in appellationis causa licere; nisi ut
 „dicitur *c. 17. h. t. in decret.* tunc nova con-
 „tingat emergere Capitula, super quibus
 „novi testes possunt recipi.

13. Solet hinc à Canonistis agi de testibus
 „singularibus, qui testantur super diversis
 „factis

factis

factis, nec habent super idem numero factum contestem. Possunt autem esse singulares, vel *singularitate obstativâ*, dum testes deponunt repugnantia ad invicem circa idem factum, qui nihil probant nequidem semiplenè; tales erant ii duo testes contra Sufannam, *Dan. 13.* Vel *singularitate diversificativâ*, quando testes deponunt de actibus diversis inter se non repugnantibus, sed tamen se invicem non coadjuvant, ut si unus dicat, quòd Titius sit furatus Viennæ; alter, quòd Augustæ, ubi singuli tantum probant, quantum unus seu semiplenè per se, si sint omnium exceptione majores, seu contra eos nil objici possit. Vel *singularitate adminiculativâ*, quando deponunt de diversis actibus ad eundem finem tendentibus; & sic se coadjuvant ad probandum id, de quo controversatur; ac plenè probant de facto successivo, v. g. si unus testis de visu dicat, quòd Titius in agro habuerit actus possessorios hoc anno; alter, quòd altero anno, &c. in facto autem particulari transiente, v. g. si unus testetur de facto, v. g. mutuo; alter de confessione Titii, quòd acceperit mutuum, neuter quidem plenè probat, sed uterque magnam gignit præsumptionem, ut Judex possit moveri ad deferendum juramentum suppletorium.

TITULUS XXI.

De Testibus cogendis vel non.

1. Quamvis statuatur C. 3. h. t. „ Si factum
 „ est notorium, (nempe ut dicitur
 „ L. 3. T. 2. c. 10. per sententiam, seu confes-
 „ sionem factam in jure, aut per eviden-
 „ tiam rei, quæ tergiversatione aliquâ ce-
 „ lari non possit) non eget testium depo-
 „ sitionibus; si non est notorium, & Reus
 „ factum neget, testesque interfuerint
 „ facto, monendi sunt, non cogendi ad
 „ testificandum; atamen h. t. c. 1. 2. 4. 5. 6. & c.
 „ decernitur, si testes legitime citati, odio,
 „ gratiâ vel timore se subtrahant, aut mo-
 „ niti testificari nolint, eos per Judices
 „ ordinarios vel delegatos ad ferendum
 „ testimonium per censuras aliasve pœnas
 „ compelli posse, esto juraverint, se con-
 „ tra alium non testificaturos; quia tale
 „ juramentum est contra bonos mores &
 „ bonum publicum, consequenter non obli-
 „ gatorium, juxta R. J. in 6. 58.

2. Verum dantur personæ privilegiatæ,
 quæ invitæ cogi non possunt ad ferendum
 contra se invicem testimonium præjudi-
 cans, si per alios testes veritas haberi pos-
 sit. Tales sunt parentes & liberi, conjuges,
 agnati & cognati usque ad tertium gra-
 dum

R.

dum

dum inclusivè, affines in primo gradu, Clerici contra suam Ecclesiam, &c. Si tamen aliter veritas nequiverit elici, & pro defectu testium justitia periclitaretur, etiam hæ personæ cogi possunt ad testificandum, quia tunc utilitatis publicæ causâ debet privilegium seu favor juris cessare.

3. Ast Clericus nunquam cogi potest ad testificandum in causa sanguinis contra Reum, quia incurreret irregularitatem. *An laicus, si non voluntariè, sed per jussu Judicis coactus, det testimonium contra Reum, ex quo sequatur mors vel mutilatio, fiat irregularis?* Utrîmque disputatur apud Smaltzgruber h. t. n. ult.

TITULUS XXII.

De Fide Instrumentorum.

1. **P**ost primam speciem probationis, quæ fit per testes, hîc agitur de altera, quæ fit per instrumenta; estque inefficacior, cum magis credendum sit vivæ vocatæ quàm mortuæ. Per INSTRUMENTUM h. t. intelligitur scriptura ad fidem & probationem rei, quam continet, faciens; estque vel *publicum*, quod manu publicæ personæ, v. g. Notarii publici, vel alterius ad cujus officium publicum spectat in-

Instrumenti confectio, in debita forma sub
 sigillo authentico est confectum: „Nisi
 „falsitas illius, ut dicitur *C. 10. h. t.* per qua-
 „tuor testes idoneos manifestè probetur;
 nam *C. 7. T. 19. h. L.* ait Pontifex: „Literis
 „Judicis ordinarii standum est, donec
 „probetur contrarium. Vel *authenticum*,
 quod licet non sit confectum à persona
 publica, quoad effectum tamen probandi
 facit fidem, ac si à tali persona confectum
 esset, v. g. si habeat sigillum authenticum
 Principis vel Magistratûs, juxta *C. 2. h. t.*
 aut si per consuetudinem vel statutum lo-
 ci pro authentico habeatur, juxta *C. 9. h. t.*
 Sic libri rationum Mercatorum, Tuto-
 rum, Administratorum, &c. accedente
 juramento suppletorio, regulariter plenè
 probant; item scriptura privata confessa-
 ta plenè probat contra scribentem, modò
 causa debiti in ea sit expressa, aliàs non;
 nam *C. 14. h. t.* ait Pontifex: „Si cautio (i. e.
 „*promissio seu confessio scriptis facta*) in-
 „determinatè loquatur, adversarius tene-
 „tur ostendere debitum, quod continetur
 „in ea; sed si causa, propter quam hujus-
 „modi scriptura processit, expressa sit
 „in eadem, confessioni statur, nisi proba-
 „verit, se id indebitè promisisse; v. g. sub
 conditione, quæ non est impleta, ut si mu-
 tuatarius intra biennium à die dati chi-

rographi opponat Exceptionem *non numerata pecunia*, tunc enim onus probandi, numerationem pecuniæ factam esse, in mutuantem transfert; vel *privatum*, quod à privata persona confectum nullo juris adminiculo roboratur ad fidem faciendam in iudicio, v. g. scriptura in scribentis duntaxat commodum; aut sine Consule & die, quæ non probat etiam in favorem causæ piæ, v. g. Testamentum ad causam piam manu Testatoris subscriptum sine data, ut notat *Luca Tract. de Testam. Disc. 14. & 15.* quia denotat tantum præparationem animi, non perfectam voluntatem. Nihilominus *Wagn. h. t. ad Cap. 1.* varios assignat casus, in quibus scriptura fidem facit pro scribente, v. g. si agatur de re parvi præjudicii, scribens fuerit bonæ famæ, &c.

2. Scriptura privata vel est *Apocha* seu Chirographum, quo creditor confitetur sibi à debitore pecuniam aliãve rem debitam ritè persolutam, diciturque quietantia: vel *Antapocha*, quã debitor confitetur, se tantum vel tantum pro annuo v. g. censu solvisse, estque creditori sæpe utilis, ne debitor successu temporis vel debitum negare, vel præscriptionem prætereat: vel *Syngrapha*, Latine conscriptio, quæ fit propriã manu

contrahentium ad pactorum fidem: vel *Epistola*, quam quis alicui absenti mittit, & in ea se debitorem ex causa v. g. mutui agnoscit. Si Aëtor in iudicio producat scripturam privatam, & Reus neget se scripsisse, Aëtor eam probare debet, vel per testes idoneos, qui actui & scriptioni interfuerunt; vel per comparisonem aliarum literarum, juxta dicta supra *Tit. 19.* quæ, si non extent, Reus cogi potest ad scribendum. Verùm per hanc Expensilationem, ut notant DD. sine aliis adminiculis non fit plena probatio, (tum quia multi alterius manum perfectè imitari possunt, tum quia scriptura hominis per vitæ decursum, mutationem calami &c. mutari solet) sed ad summum semiplena, & Judicis arbitrio relinquitur, quantam fidem mereatur, & an parti velit juramentum deferre. Circa probationem per instrumenta statuitur

3. In *Decret. C. I. h. t.* „Si scripturam
 „authenticam non videmus, ad exem-
 „plaria facere nihil possumus. Ubi per
 „exemplaria intelliguntur simplices copiae
 nullâ auctoritate publicâ vidimatæ; nam
 si à Notario publico vidimatæ sint, pa-
 rem cum originalibus fidem faciunt.

C. 5. „Si quis fuerit requisitus Pri-

R 3

„vi-

„vilegium exhibere vel quodcunque in-
 „strumentum, præfente Iudice aut depu-
 „tatis ab ipfo, audiente parte contraria
 „tantummodo recitetur, ita quòd ad
 „transcribendum nullo modo tradatur.
 „Verùm fi fuper uno tantùm illius Capi-
 „tulo quæftio fuerit, duntaxat illud Capi-
 „tulum transcribatur, & adverfæ parti
 „ejus copia fiat. Ratio hujus eft, ne lit-
 „igans ex eo novam anfam litis fumat; hinc
 nec testamentum totum eft edendum le-
 gataro, fed tantùm claufula concernens.

4. C. 9. „Ab utraque parte poffunt in-
 „ftrumenta etiam poft publicationem ac-
 „teftationum ufque ad definitivam fen-
 „tentiam exhiberi, antequam fit in caufa
 „conclufum. *Nec obftat*, quòd testes tum
 amplius non admittantur. *Nam* difp. eft
 quia timor fubornationis, qui datur in te-
 ftibus, non adefit in inftrumentis, quæ funt
 liquidiffimæ probationes; unde etiam
 poft conclufionem in caufa, fi fint noviter
 inventa, produci poffunt; fecus eft de no-
 viter confectis. C. 13. „Imputari ei poteft
 „qui contrarias inter fe fcripturas in judi-
 „cio protulit, fidem fibi ad invicem de-
 „rogantes; cùm in ipfius fuerit poteftate
 „quam voluerat, non proferre. Ratio
 quia producens inftrumenta, quæ prævic
 examinare potuit & debuit, an fibi contra-

dicant, censetur omnia in iis contenta approbasse. Unde quamvis si à diversis partibus v. g. hærede & legatario producantur contraria instrumenta, standum sit digniori & veriori; item si testes producti contraria deponant, verioribus fides adhibeatur, quia producens scire nequit, quid sint deposituri; non tamen inposito casu defertur instrumento digniori ob approbationem contentorum in alio à producente factam, ob quam Actor intentionem suam agnoscit simul, & negat esse fundatam, consequenter nihil probat.

5. C. 15. „Cum P. Tabellio morte præventus quædam non perfecit instrumenta, quæ in notas redacta fuerant ab eodem; rescribit Pontifex: Ea per alium Tabellionem ad petitionem eorum, ad quos pertinent, auctoritate ordinarii Judicis posse in publicam formam redigi, habitura perpetuam firmitatem. Per *Notas* intelligitur Prothocollum seu summaria gesti actûs à Notario facta annotatio, ex quo postea ad extensum servatis debitis solemnitatibus & clausulis consuetis conficitur authenticum Instrumentum, quod dicitur *Transumptum*.

C. 16. „Si instrumenta propter vetustatem vel aliam justam causam exemplari petantur, coram ordinario Judice præ-

„sententur; qui, si ea diligenter inspecta
 „in nulla sui parte repererit vitiata, per
 „publicam personam illa præcipiat exem-
 „plari; eandem auctoritatem per hoc
 „cum originalibus habitura. Verum con-
 „suetudo huic Canoni multum derogavit,
 ut etiam copia, à solo Notario publico
 fideliter vidimata, plenam fidem in ju-
 dicio faciat.

TITULUS XXIII.

De Præsumptionibus.

1. **P**RÆSUMPTIO est rationabilis conjectu-
 ra rei dubiæ hausta ex variis indiciis
 plerumque cum tali re connexis, (hinc
 Vulgatum: *Ex communiter contingentibus fit præsumptio*) quæ loco probatio-
 nis ad ostendendam Judici rei fidem
 allegari potest; ac pro quantitate indi-
 ciorum generat iudicium certum, vel
 probabile, vel suspicionem. Triplex or-
 dinariè assignatur præsumptio, nem-
 pe Juris tantum; Juris & de Jure; ac
 hominis.

2. Præsumptio *Juris tantum* est, quæ
 in Jure est expressa & approbata, eique
 jus tam diu innititur, donec contrarium
 probetur. Hujus plura exempla referun-
 tur h.t. Sic C. 1. „Noxius est, qui fraudulen-

„ter nocet amico suo, & cum fuerit de-
 „prehensus, dicat, ludens feci. C. 2. Mu-
 „liere 3 Reg. 3. obsecrante pro infante, ne
 „occidatur, Salomon dixit: Hæc est ma-
 „ter ejus. C. 4. Ita iudicium nocens sub-
 „terfugit, quemadmodum ut absolvatur,
 „qui est innocens, quærit; hinc confitetur
 „de omnibus, quisquis se subterfugere
 „iudicium dilationibus putat. C. 5. Cui
 „duo illata fuerunt, si unum neget, alte-
 „rum tacendo concedit. C. 6. Ex transacta
 „alicujus vita discimus, quid de subse-
 „quenti ejus conversatione præsuma-
 „mus. C. 8. rescribit Pontifex: Latere
 „te in vicino non potuit, quod ad nos
 „in longinquo pervenit. C. 9. Ex prius
 „datis & neglectis legibus apparet, quòd
 „novas negligent. C. 10. Verisimilitudi-
 „nem non habet, quòd quis personatum
 „Ecclesiæ (*utpote digniorem & pingui-
 „orem*) cesserit Capellano suo erga Vi-
 „cariam, quia nemo præsumitur, quòd
 „res suas jactare velit, ait *Gloss.* C. 14.
 „Cum quis in juventute sua se matu-
 „rum, honestum & providum exhibue-
 „rit, non est de levi credendum, quòd,
 „postquam ad senilem pervenit æta-
 „tem, turpiter abjecerit jugum Domini,
 „foeditates libidinis amplexando. C. 16.
 „& fin. Ex clausula: *Si persona fuerit*
 R. 5. „ido-

„*idonea*, Rescripto Apost. insertâ, eidem
 „probandi se idoneum nulla necessitas
 „imponitur, cum primâ facie præsumatur
 „idoneus, nisi alibi in contrarium ostenda-
 tur, nempe idoneitate morali; nam quis
 præsumitur bonus, donec probetur malus,
 quanquam Episcopi ab ordinandis & ca-
 teris ad cautelam exigant testimonium
 vitæ & morum; uti ætatis, scientiæ, alia-
 rumque qualitatum, quæ jus non præsu-
 mit omnibus inesse. Hæ & similes præ-
 sumptiones juris relevant ab onere pro-
 bandi, illudque onus in adversarium re-
 jiciunt; paria enim sunt habere pro se
 præsumptionem & probare; nisi una præ-
 sumptio fortior elidat aliam debiliorem,
 v. g. præsumptio bonitatis moralis alias
 præsumptiones ortas ex indiciis non ve-
 hementibus.

3. Differt *præsumptio juris*, quæ est ac-
 ceptatio verisimilium pro veris, donec
 oppositum probetur, à *fictione juris*, quæ
 est indubitata fallitatis pro veritate ex
 dispositione legis facta acceptio in ordine
 ad certos juris effectus. Sic Religiosus vi-
 vens fingitur mortuus; pater & filius una
 persona; maritus & uxor una caro &c. Sic
 rati habitio quandoque æquiparatur man-
 dato; tempus præsens retrahitur ad
 præteritum, &c. Unde licet præsumptio
 juris

juris admittat probationem in contrarium, fictio tamen juris nunquam eam admittit.

4. Præsumptio *juris & de jure* est præsumptio legis ex certis in jure expressis indiciis aliquid præsumendis, & super præsumpto tanquam sibi comperto statuentis, ut secundum eam Judex protinus judicare debeat, non admissâ in contrarium probatione, saltem regulariter & pro foro externo. Ejus varia extant exempla in utroque jure; sic si in instrumento publico scriptum sit, mulierem accepisse pecuniam, ut pro alio fide-juberet, præsumitur, quòd eam acceperit, ideòque Beneficio S. C. Vellejani privatur; si res pupilli in Inventario à Tutore descriptæ sint, præsumuntur fuisse, nec postea auditur Tutor, etsi probare paratus sit, tantam quantitatem non fuisse; Legimitas prolis præsumitur, si conjuges in eadem domo pacificè cohabitaverint, &c. Item *C. 12. h. t.*
 „Cum P. accusaret uxorem de adulterio
 „ad separationem thori, producens testes
 „firmiter asserentes, quòd consanguineum viri solum cum sola, nudum cum
 „nuda in eodem lecto jacentem eâ, ut credebant, intentione, ut eam cognosceret
 „carnaliter, multisque locis secretis & latebris ad hoc commodis & horis electis
 „vide-

„ viderint, & publica fama consentiat, re-
 „ scripsit Pontifex, quòd ex hujusmodi
 „ violenta & certa suspitione fornicationis
 „ possit sententia divortii promulgari. Ra-
 tio, quia ex talibus actibus propinquis ad
 copulam censetur ea præsumptive pro-
 bata, cum major probatio talis criminis
 haberi non possit, ideòque *Pirrh. h. t. n. 16.*
 censet, ob tam violentam præsumptio-
 nem illud posse puniri etiam pœnâ ordi-
 nariâ. Vide sup. *Tit. 20. n. 8. c. 27.* Item *C. 13.*
b. t. „ Cum neptis sponsæ juratò asserere-
 „ bat, se à sponso J. carnaliter cognitam,
 „ testes producens asserentes, se id credere,
 „ quòd viderint sæpiùs per nemora & in
 „ via illos convagantes, & vicini id affir-
 „ marent, Pontifex re intellectâ consultius
 „ judicavit, illos solutis sponsalibus sepa-
 „ randos. Verùm si matrimonium fuisse
 contractum, præsumptio pro valore ma-
 trimonii prævaleret præsumptioni de affi-
 nitate ortæ ex copula præsumpta, juxta
 dicta sup. *Tit. 20. n. 7. c. 22.*

5. Dixi primò *Regulariter*, nam contra
 præsumptionem Juris & de jure admitti-
 tur confessio partis v. g. contra senten-
 tiam, quæ transiit in judicatum; si enim illa
 ex confessione triumphantis est injusta, re-
 scindi debet. Item contra eam probat evi-
 dentia facti notoria, quia præsumptio
 debet

debet cedere veritati &c. Dixi 2. *pro foro externo*, quia internum nunquam tenetur se conformare externo, quando hoc certò nititur præsumptione falsi, v. g. de debito, de affinitate &c. quia præsumptio semper cedit veritati.

6. Præsumptio *Hominis* est, quæ nullo jure speciatim expressa vel confirmata; ex verisimilibus tamen indiciis & rerum circumstantiis prudenti hominis v. g. Judicis arbitrio concipitur, & pro vero habetur, donec veritas elucescat; potestque esse ex quantitate indiciorum vel vehemens & violenta, v. g. de Berta, quòd sit corrupta, si habeat lac in uberibus, (etsi id juxta Medicos teste *Pirrh. b. t. n. 5.* naturaliter in virgine contingere possit) aut de muliere pariente undecimo mense post mortem mariti, quòd prolem ex eo non susceperit; vel solum probabilis, v. g. quòd Caja non sit virgo, quia sola sæpe in obscuris locis cum juvenibus versatur &c. Si præsumptio concipiatur ex levibus indiciis, est Pharisaica & temeraria; qualis etiam est illa, si adolescens publicè virginem salutet aut osculetur, & alius id videns statim credat, ipsos in rebus illicitis conversari, cum talia in meliorem partem sint interpretanda, ut ait *Gonz. b. t. ad c. 2. n. 13.*

TITU.

TITULUS XXIV.

De Jure - Jurando.

Revisis iis, quæ in *Nucl. Theol. de Juramento Exam. 16. n. 6. & seqq.* dicta sunt, à Canonistis h. t. tractari solita,

I. Nota: Præter juramentum calumniæ, veritatis & malitiæ, de quibus supra *Tit. 7.* varia esse juramenta in judiciis adhiberi solita tanquam maxima litium expediendarum remedia, nempe primò juramentum *litis decisorium*, quod ob inopiam plenæ probationis in causis dubiis uni ex litigantibus vel à Judice vel à parte ad Judicis approbationem defertur ad causam rei dubiæ terminandam, diciturque *suppletorium*, quasi supplens vices plenæ probationis, potestque Judicis arbitrio deferri tum Reo, tum Actori, pro quo stat major præsumptio. Nam C. 36. seu fin. h. t. rescribit Pontifex: „ Juramentum à Judice „ parti delatum sine iusta causa recusari „ non potest; quod autem in iudicio parti „ à parte defertur, recusari licitè potest ac „ referri in deferentem. Non tamen licet „ convento famosâ actione, i. e. *super infami vel turpi crimine illud referre*. Quia, ut notat *Gonz. ad hoc Cap.* æquum non est, hominis famam aut vitam committere

juramento accusatoris. N. D. Accusator potest Reo deferre jus-jurandum, ergo & Reus illi referre. Nam disp. est, quia Reus jurat de facto proprio sibi noto ad sui defensionem; accusator autem cogitur jurare de facto Rei alieno dubio seu non ita sibi noto ad Rei condemnationem, ad quam tamen requiritur plena probatio, quam non facit juramentum Actoris & unius testis in criminalibus; sicut quandoque in civilibus, in quibus potest Judex saepe ex æquo & bono judicare, & hinc in Actorem juramentum referre. Quod si Actor absque causa recuset, Reus absolvitur; uti si Reus juramentum à Judice delatum nolit suscipere, habetur pro confesso & convicto, eò quòd præsumatur ipsum sibi de causa v. g. debito consciuum metu perjurii illud recusare. Addit Pontifex cit. c. „Si Actor omnino in probatione defecerit, Reus (etsi nihil præstiterit) debet obtinere; si præsumptio faciat pro Actore, potest Reo deferri ad probandam suam innocentiam, nisi Judex inspectis circumstantiis illud Actori videat deferendum. Secundo *Juramentum purgatorium*, quo jubente Judice suspicionibus gravatus illud, quod sibi objicitur, falsum esse asserit, & sic innocentiam suam ostendit, de quo *L. 5. T. 35.*

de purgat. Canon. Tertio *Juramentum in litem*, quo Actor injuriam vel valorem rei petitæ; & damnum ex carentia illius sibi natum juxta suam æstimationem taxat. Quarto *Juramentum Zenonianum*, sic dictum à Zenone Imp. quo spoliatus æstimat rem & accessoria rei spoliatæ, de quo *L. 1. T. 40. n. 1. c. 7.* Quinto *Juramentum perhorrescentiæ*, quo quis, deferente illud Judice superiore, asserit, se valde timere, ne ab inferiore Judice æquam & incorruptam justitiæ administrationem impetret. Notabilia h. t. Capita sunt

2. 1. *In Decret. c. 6.* „Debitores ad solvendas usuras cogi non debent; si vero de ipsarum solutione juramentum fecerint, cogendi sunt DEO reddere juramentum, ut solvantur; & cum soluti fuerint, Creditores (eorumque hæredes ex *c. 20.*) ad eas restituendas cogendi sunt; quia ut dicitur *c. 7.* sicut periculosum est debitoribus suum juramentum infringere, ita non minus periculosum est creditoribus, detinere, quod pro usuris receperint, cum sit usurarum crimen detestabile & horrendum, utriusque Testamenti paginâ condemnatum. Vide *Nuc. Theol. Exam. 16. n. 10.*

3. *C. 8.* „Non est tutum quemlibet venire contra suum juramentum, nisi tale

fuerit, quod servatum vergat in interi-
 tum salutis æternæ; unde gravi metu
 coacti jus suum abjurare, de juramento
 absolutionis beneficium obtineant, & jus
 suum prosequi permittantur. C. 10. Non
 merentur Ecclesias regere, qui sunt cri-
 mine perjurii irretiti. C. 11. Justum est,
 ut Clerici pro perjurio ab Ecclesiis per-
 seuò excludantur. C. 12. Qui jurant
 non loqui patri vel matri, sorori vel fra-
 tri, aut eis humanitatis subsidium ex-
 hibere, absolvendi sunt ab illius obser-
 vantia juramenti, cum illicitum sit, &
 omni contrarium rationi. Verùm hinc
 absolutio ex rigore juris non erat neces-
 saria, quia sufficiebat absolutio ad cau-
 telam, *si & in quantum opus*, seu decla-
 ratio invaliditatis; nam C. 18. dicitur:
 Juramentum, ut esset iniquitatis vincu-
 lum, non fuit institutum.

4. C. 25. „Procul dubio temerarium
 est juramentum, si vir juret uxori, quòd
 eam super nullo crimine accusabit.
 Quòd si expressè jurasset, quòd eam su-
 per adulterio non impeteret, consultus
 Pontifex, an esset servandum hujusmodi
 juramentum, cum Scriptura testetur,
 quòd patronus est turpitudinis, qui celat
 crimen uxoris? Respondet, tutius in
 hoc casu videri, ut propter Juris-jurandi

„ religionem vir accusare desinat uxorem
 „ ad divorcium; quanquam eam denun-
 „ tiare possit ad pœnitentiam peragen-
 „ dam. C. 26. Juramentum per se quidem
 „ malum non est, cum sit confirmatio ve-
 „ ritatis, sed tamen prohibetur ex causa
 „ quia ex frequente & incauta juratione
 „ perjurium sæpè contingit. Et C. 28. Et
 „ consensus mulierum in alienationibus
 „ super rebus dotalibus & donatione pro-
 „ pter nuptias non videatur obligatorius
 „ juxta *L. Juliam*; ne tamen via perjurii
 „ aperiat, mulieres ipsæ, si se non contra-
 „ venturas præstiterint juramentum, illud
 „ servare debent, si sine vi & dolo sponte
 „ ac providè præstitum sit, cum in alterius
 „ præjudicium non redundet, nec obser-
 „ vatum vergat in dispendium salutis æter-
 „ næ; quod C. 2. in 6. h. t. decernitur in
 „ judiciis servandum.

5. Ex hoc notant DD. Jure positivo ju-
 ramentum quandoque actum Jure Civili
 invalidum facere validum, & ex revoca-
 bili irrevocabilem, ut in casu posito alie-
 nationem dotis aut donationem juratam
 illius ab uxore minorenni factam, dona-
 tionem omnium bonorum, &c. quia per
 hoc renuntiat jurans favori legis in gra-
 tiam sui introductæ; sicque oritur duplex
 obligatio Religionis & Justitiæ, ita ut

etiam primâ remissâ maneat secunda; e contra si juramentum non confirmet contractum invalidum, isque sit de re licita, ut sine peccato servari possit, inducit tantum obligationem religionis erga DEUM illud acceptantem, v. g. solvendi usuras, quia potest quis licitè dare alteri suum, licet alter recipiendo usuras peccet; & relaxato juramento vel à promissario, vel à superiore, nulla superest obligatio; neque prior utpote personalis transit ad hæredes. Verùm si juramentum sit metu aut injuriâ extortum de non rescindendo contractu aliàs valido, hic relaxato juramento potest ad arbitrium metum passi rescindi, quia non est jus Tertio firmiter quæsitum. N. D. Juramentum sequitur naturam actûs, uti adjicitur; ergo si actus sit invalidus & pro arbitrio rescindibilis, ipsum quoque juramentum erit invalidum & rescindibile. Nam *q. D. Conf.* Si actus sit jure naturæ invalidus v. g. turpis, qui sine peccato poni non potest C. si tantum sit invalidus jure positivo ob privatam utilitatem posito N. Unde axioma illud solum intelligitur de actibus ex sui natura invalidis, aut validis jure approbante; quorum naturam sequitur juramentum adjectum.

6. C. 33. „Cum Rex H. alienationes

S 2

„quas-

„quasdam fecerat in præjudicium Regni
 „sui & contra Regis honorem, rescribit
 „ei Pontifex, ut alienationes prædictas
 „non obstante juramento, si quod fecit
 „de non revocandis eisdem, studeat re-
 „vocare, quia cum teneatur, & in coro-
 „natione sua juraverit, Regni sui jura
 „libata servare, illicitum profecto fuit
 „hujusmodi juramentum, & propterea
 „penitus non servandum. Hinc licet pos-
 „sit Rex cum levi & modico, non tamen
 „potest cum gravi Regni præjudicio facere
 „alienationes, nisi pro pace statuenda
 „in favorem Ecclesiæ, ut fecit Constanti-
 „nus M. quia tunc Christo Domino dona-
 „tum videtur, cujus est terra & plenitudo
 „ejus, ait *Gonz. ad b. c.*

7. II. In 6. c. 1. h. t. Cum in nonnullis
 Ecclesiis de earum consuetudine nec ipsarum
 Prælati nec Canonici aliter recipiantur,
 nisi jurent statuta & consuetudines
 ipsarum scripta & non scripta inviolabiliter
 observare, declarat Pontifex: Juramenta
 sub hujusmodi generalitate præstata
 vel præstanda ad licita, possibile &
 libertati Ecclesiasticæ non repugnante
 tantum extendi & obligare. Imò INNOCENTII
 XII. Bullâ: *Ecclesiæ Catholicæ*, severe prohibet
 novas capitulationes in electionibus
 Prælatorum ab his jurejurando acceptatis

das, dicens: „ Quia sine auctoritate Apost.
 „ nihil omninò in similibus pacisci fas est.
 Item C. 3. „ Cùm in positionibus sive re-
 „ sponfionibus cujusdam electi post jura-
 „ mentum ab ipso, vel ipso sciente & man-
 „ dante à Procuratore in causa præstitum
 „ reperta fuisset contrarietas, rescripsit
 „ Pontifex: Nisi justa & rationabilis causa
 „ excuset, super electione perpetuum ipsi
 „ silentium imponi debere. Ratio, quia
 „ cùm contraria simul esse vera non pos-
 „ sint, talis necessariò fallax & perjurus
 „ æstimari debet.

8. Ex his patet, Juramentum Capitu-
 larium de non postulando seu non eli-
 gendo extra gremium, quamdiu in eo
 dignus reperitur, esse omni jure validum,
 quia est de re licita; nam juxta C. 19. *de*
Elect. in 6. citatum L. 1. T. 6. §. 4. n. 4. Canon
 suadens, ut tunc eligant ex gremio; &
 præcipiens, ut Prælati, ad quem jus
 providendi devolvitur, tali casu de gre-
 mio Ecclesiæ, juxta C. 41. *de Elect.* cita-
 tum L. 1. T. 6. §. 3. n. 1. provideat, justus
 est, adeoque de re licita, estò extra gre-
 mium dignior & utilior Ecclesiæ reperia-
 tur, consequenter & tale juramentum,
 utpote de re licita, validum est, estò non
 fit de meliori.

TITULUS XXV.

De Exceptionibus.

1. **P**ostquam actum de probationibus earumque variis speciebus, quibus veluti lanceis seu gladiis actor utitur adversus Reum, sequitur titulus de exceptionibus, quibus veluti clypeis & loriceis Reus jus suum contra Actorem tuetur, quamvis alias ordo doctrinae in connectendis titulis Juris Canonici in multis sit arbitrarius.

2. **EXCEPTIO** variè sumitur, nempe pro exemptione seu immunitate ab oneribus vel pro limitatione Regulæ, juxta axioma *Nulla Regula sine exceptione*; vel, de qua in præfenti, pro defensione Rei, quæ excludit intentionem Actoris, ejusve actionem sibi in judicio intentatam, vel per Exceptionem *Facti*, quæ objicitur Actori velut de facto agenti absque actione, et quæ exclusio intentionis, non actionis, quia exclusio supponit existentiam, ut simpliciter neget actum v. g. contractum mutui, aut opponat exceptionem de re judicata vel transacta, quia actio vel obligatio semel extincta nunquam amplius reviviscit; & talis exceptio facti ante litem objecta impedit contestationem litis, quæ

fit per exclusionem actionis, non solius intentionis. Vel per Exceptionem *Juris*, ut si Reus quidem fateatur actionem, v. g. mutui, fidejussionis, emptionis &c. sed opponat Exceptionem v. g. S. C. Macedoniani, Vellejani, non numeratae pecuniae, Doli mali, Quod metus causa & similes, quae post litem contestatam sunt probanda, hinc litis contestationem non impediunt. Exceptioni opponitur *Replicatio*, per quam Actor excludit exceptionem Rei, contra quam conceditur Reo alia responsio, quae vocatur *Duplicatio*, cui rursus respondet Actor per *Triplicationem*; & Triplicationi opponit Reus *Quadruplicationem*, & sic deinceps.

3. Exceptiones celeberrime dividuntur in Peremptorias & Dilatorias. *Peremptoriae* sunt, quae in continenti probatae in totum perimunt jus Actoris, vel ejus intentionem elidunt, ut sunt Exceptio Transactionis, Rei judicatae, Praescriptionis &c. dicunturque perpetuae, excepta tantum exceptione *Non numeratae pecuniae*, quae, etsi sit peremptoria, non tamen est perpetua, quia biennio a die contractus elapso circumscribitur. *Dilatoriae* sunt, quae causam non perimunt, sed Reo dilationem temporis tribuunt, sicque litem retardant; harum aliqua respiciunt *per-*

sonam Judicis, ut declinatoriæ Fori seu incompetentiæ, vel recusationes Judicis velut suspecti ex causa, quæ debet esse prima, & opponi ante omnes alias exceptiones; si enim Reus prius opponeret aliam, eo ipso censetur consentire in Judicem, neque possit ulterius illum recusare, nisi superveniat nova causa, aut notitia prioris causæ incognitæ; quia juxta vulgare principium: *Que de novo emergunt, novo indigent auxilio.* Aliquæ respiciunt *personas litigantium*, quæ contra eorum legitimationem ad standum in judicio opponuntur, v. g. si compareat pupillus sine Tutore; minorennis sine curatore; Filius-fam. sine consensu patris; uxor sine consensu mariti; Procurator sine mandato &c. Huc etiam spectat exceptio spoli, excommunicationis majoris, quæ repellit ab agendo, (non minor, quæ solum removet à participatione Sacramentorum, ut dicitur *c. 2. b. 1.*) quia privat communionem fidelium etiam forensi, licet defensio per Procuratorem ipsi sit permessa; item exceptio criminis contra testes, de qua *c. 1. b. Tit. & supra Tit. 10. Reg. 3.* Aliquæ respiciunt *causam principalem*, ut exceptio Libelli inepti vel obscuri, plus petitionis, litis pendentis, &c. Vide supra

Tit. 8. de Dilat. Notabilia h. Tit. Capita sunt:

4. I. In Decret. c. 3. mandat Pontifex: „Canonicum J. de quadam Præbenda „à Papa investitum pacificâ illius posses- „sione gaudere, non obstante Canonico- „rum exceptione, quòd dictus J. in alia „Ecclesia beneficium possideat, præfer- „tim cum exceptionem illam ei non pos- „sent opponere, quos constat varia Be- „neficia in diversis Ecclesiis obtinere. Ratio decisionis fuit, quia dicto J. non opponebant exceptionem pluralitatis Be- neficiorum de jure incompatibilium, sed tantum incompatibilium ex statuto suæ Ecclesiæ, cui tacitè & ipso facto cen- sebantur renuntiâsse per hoc, quòd & ipsi plura obtinerent: *Nemo autem potest aut debet reprehendere in alte- rius persona, quod in sua putat æquum,* & ut dicitur C. 6. de Constit. *Quod quis- que juris in alium statuit, eo & ipse uti debet.*

5. C. 5. „Excommunicato legitima de- „fensio in judicio reservatur, & maxi- „mè Judicis recusatio; neque in tali- „bus excommunicati favor attenditur, „sed æquitas judicantis, cum non debeat „claudicare judicium, ac satis videatur „absurdum, si, Actore impugnante, Reo

„ defensionis copia denegetur, quia sic
 „ multoties condemnaretur absolvendus.
 „ Nec interdicti debet eidem appellationis
 „ remedium, si contra iustitiam con-
 „ demnetur; secus est de Reconventionem,
 „ ne defensionis remedium ad impugna-
 „ tionem extendatur. Vide *Tit. 13. n. 3.*

6. In 6. C. 1. h. t. „ Cùm juxta *Cap. Ex-*
 „ *ceptionem 12. h. t. in Decret.* exceptio ex-
 „ communicationis inter dilatorias scien-
 „ ter licet omiſſa in qualibet parte litis
 „ à Reo opponi poſſit; ne per malitiam
 „ ad litem differendam & partes fatigan-
 „ dum opponatur, decernit Pontifex, ut
 „ qui eam opponit, infra octo dies aperte
 „ doceat; ſi non probaverit, Judex in
 „ cauſa procedat, & Reum in expenſis,
 „ quas Actor ob hoc his diebus fecerit,
 „ condemnet. Si poſt rem judicatam ea-
 „ dem exceptio opponatur, executionem
 „ quidem impedit, ſed ſententia præce-
 „ dens robur ſuum obtinebit. Si Actor ſit
 „ excommunicatus publicè, & hoc Judex
 „ noverit, licet Reus non excipiat, illum
 „ ex officio repellat. Item C. 2. Sæculares
 „ Judices Exceptionem de re per Eccleſ.
 „ Judicem judicata in cauſa ad ipſum per-
 „ tinentem admittere tenentur; ſimiliter Ec-
 „ cleſ. Judices Exceptionem de re per ſæ-
 „ cularem Judicem judicata, in his, quæ
 „ „ anti-

„animarum periculum non inducunt,
 „aliàs ad hoc per Censuras Eccles. com-
 „pellendi.

*Quanam Exceptiones peremptoriae im-
 pediant litem, & quæ non? Vide supra
 Tit. 5. n. 2.*

TITULUS XXVI.

De Præscriptionibus.

1. Species Exceptionis valde celebris &
 frequens est PRÆSCRIPTIO, de qua vide
 tradita in *Nucl. Theol. Exam. 8. n. 8.* Præter
 quæ h. t. statuitur:

2. I. In *Decret. c. 7.* „Quia laici Deci-
 „mas detinere non possunt, eas nullâ va-
 „lent præscribere ratione. Jus tamen acti-
 „vum decimandi potest laicus obtinere per
 Privilegium Apost. pro quo est præsum-
 ptio juris, si laicus tempore immemoriali
 pacificè illud habuerit; si verò postea
 constaret per instrumentum authenti-
 cum, jus decimandi illegitimè pervenisse
 ad laicos, v. g. si Parochus illicitè deci-
 mas Ecclesiæ suæ laico vendidit, hic non
 posset illud jus etiam post tempus imme-
 moriale retinere; quia cum citra privi-
 legium non possit illud possidere, neque
 præscribere potuit; quamvis laicus possit
 præscribere immunitatem à solvendis
 De-

284 LIBER II. TITULUS XXVI.
Decimis cum titulo spatio 40 annorum;
sine titulo tempore immemoriali. Ita *Lac.*
L. 3. p. 2. n. 502.

3. C. 8., Adversus Ecclesias præscriptio
„40 annis minor non admittitur, licet
„quidam Canones comprobent tricen-
„nalem, & Ecclesia se potest adversus
„alteram quadragenaria temporis præ-
„scriptione tueri de re illa, quam incon-
„cussè 40 annis noscitur possedisse; quia
„ut dicitur *C. 6. b. t.* Quadragenalis præ-
„scriptio omnem prorsus actionem se-
„cludit; nisi sit causa, quæ requirat pro-
„bationem tituli saltem colorati, de qua
„infra *n. seq.* C. 14. „Tam legali quam
„Canonicâ definitione contra Roma-
„nam Ecclesiam non nisi centum anno-
„rum præscriptio locum sibi valet ven-
„dicare. Et C. 20. Quia omne, quod
„non est ex fide, peccatum est, defini-
„tur, ut nulla valeat absque bona fide
„præscriptio tam Canonica, quàm Civi-
„lis, cum generaliter sit omni Constitu-
„tioni & Consuetudini derogandum, quæ
„absque mortali peccato non potest ob-
„servari. Unde oportet, ut qui præscri-
„bit, in nulla parte temporis rei habeat
„conscientiam alienæ. Unde hîc corrigi-
„tur Jus Civile approbans præscriptionem
„ob possessionem bonâ fide inchoatam,
est

estō malā continuatam. *An debitor sciens obligationem, à 30 annis à creditore non monitus, à 30 annis non solverit, præscripserit?* Affirmat *Pichler Decis. 96.* contra communiorem. Quæ sententia, ut ait *Gonz. ad c. 5. h. t. n. 9.* parum tuta videtur, quia adest mala fides ex parte debitoris, qui conscius suæ obligationis tenebatur solvere, adeoque nequit opponere præscriptionem debiti; licet possit opponere præscriptionem actionis, introductam à Jure in pœnam creditoris negligentis perere, quod sibi debetur, quia ex transcurso tanti temporis præsumitur ipsum satisfecisse.

4. II. *In 6. h. t. c. 1.* decernit Pontifex:
 „Licet ad præscribendam rem Eccles. si
 „jus commune præscribenti non est con-
 „trarium, vel contra eum præsumptio
 „non habeatur, sufficiat bona fides, ubi
 „tamen jus commune vel præsumptio est
 „contra illum, si proponat se legitime
 „præscripsisse (v. g. *Episcopus Ecclesias in
 „aliena Diœcesi sitas, Parochus Decimas in
 „aliena Parochia &c.*) „debet hujusmodi
 „præscriptionis titulum (*contra Episco-
 „pum vel Parochum loci eas repetentem*)
 „probare, nisi tanti temporis allegetur
 „præscriptio, cujus contrarii memoria
 „non existat; quia possessio temporis im-

me-

236 LIBER II. TITULUS XXVII.
memorialis semper generat præsumptionem
justi tituli, si capacitas sit in præscribente,
& res sit præscriptibilis. Verùm, ut notat
Pirrh. h.t. n. 88. si Parochus A. & B. litigent
super Decimis in neutrius Parochia sitis,
sufficit probare quadragenariam (quæ generat
titulum præsumptum) possessionem sine probatione
tituli etiam colorati.

TITULUS XXVII.

De Sententia & Re judicata.

I. Expedito processu judiciario, seu postquam partes hinc inde per probationes, exceptiones, replicationes &c. allegarunt merita causæ, sequitur *Conclusio in causa*, quæ est ultimus actus præcedens sententiam definitivam, per quam iudicium terminatur. Hæc conclusio nil aliud est, quàm submissio controversiæ ad decisionem, seu ulteriorum probationum & allegationum renuntiatio à partibus facta, vel purè, vel conditionatè, v.g. si is, qui prior concludit, adjiciat hanc protestationem, quòd non aliter concludere intendat, quàm si adversarius etiam concluderit, & nihil novi produxerit, aut nisi novæ probationes vel nova instrumenta ante sententiam reperta fuerint.

2. SEN.

2. SENTENTIA à *sentiendo* dicta, est pronuntiatio Judicis super re à litigantibus proposita, per quam declarat, quid ipse in causa dubia & inter partes controversa sentiat; estque triplex, Definitiva, Interlocutoria, & Habens vim Definitivæ. *Definitiva* est, quæ imponit finem toti causæ in judicium deductæ per absolutionem vel condemnationem Rei, finitque officium mercenarium Judicis, sive bene, sive male judicaverit, quia jam functus est suo officio. Ad hanc reducitur Sententia *quasi Definitiva*, v. g. lata super possessorio; cum enim post illam possit intentari petitorium, non dicitur simpliciter seu ex toto Definitiva. *Interlocutoria* est, quæ inter principium & finem causæ quasi interloquendo fertur à Judice super incidentibus (ut si lite motâ incidat v. g. pactum ante litem motam factum de non petendo &c.) vel emergentibus post litem cœptam, v. g. super Dilationibus, Receptione testium, productione Instrumentorum &c. Si verò feratur Sententia aliqua ante litem contestatam, v. g. super receptione testium, missione in possessionem bonorum ob contumaciam Rei, &c. dicitur *quasi interlocutoria*. *Habens vim Definitivæ* est, quæ non imponit finem causæ, sed illam rejicit; ut cum Judex pronun-

riat.

tiat, se non esse Judicem competentem in causa.

3. RES JUDICATA est ipsa causa controversa, quæ finem controversiæ pronuntiatione Judicis accepit; estque effectus sententiæ, quæ tunc dicitur transire in rem judicatam, vel *revocabiliter*, si adhuc ab ea appellari potest; vel *irrevocabiliter*, si ab ea ante lapsum decendii non sit appellatum, ut statuitur *C. 15. h. t.* „Cum post
 „decem dierum spatium Sententia in au-
 „toritatem rei transeat judicatæ, qui ad
 „provocationis subsidium infra id tem-
 „poris non recurrit, appellandi sibi adi-
 „tum denegavit, cum per hoc videatur
 „per interpretationem juris paruisse lata
 „sententiæ; sed nec executionem ipsius
 „sententiæ ideo convenit retardari; & li-
 „cèt ad hoc agendum quadrimestre tem-
 „pus regulariter sit statutum, quia id
 „arctari potest nonnunquam à sedente in
 „medio, i. e. Judice, & etiam prorogari;
 „hinc qui ab initio sponte suscepit termi-
 „num brevioris, imputare sibi potest
 „& debet, cum ex hoc videatur amplioris
 „beneficium contempnisse; unde talis non
 „audietur appellans, nisi fortè adversus
 „eum modus executionis Canonicus ex-
 „cedatur.

4. Porro Sententia, quæ transiit simpli-
 citer

ceter in iudicatum, habet pro se præsum-
 ptionem juris & de jure, ita, ut licet ex
 post ex actis ob exhibita instrumenta; vel
 ob instrumenta de novo reperta appareat,
 quod fuerit à parte rei injusta contra jus
 litigatoris, pro foro externo stetur senten-
 tiæ, nec per remedium ordinarium regu-
 lariter retractari amplius potest, quia fecit
 jus inter partes litigantes. Dixi i. ^{mo} *contra*
ius litigatoris; nam c. i. h. t. ait Pontifex:
 „Sententia contra Leges Canonésve pro-
 lata, licet non sit per appellationem
 suspensa, ipso non potest jure subsistere.
 Unde quamvis sententia post elapsum de-
 cendum nequeat impugnari ex capite
 iniquitatis, potest tamen ex capite Nulli-
 tatis intra xxx. annos, (post quos omnis
 actio emoritur) quia Sententia ipso jure
 nulla non transit in rem iudicatam, v. g.
 lata à Judice non competente, ab excom-
 municato, aut omissis solemnitatibus sub-
 stantialibus, &c. item prolata contra aliam
 Sententiam sine mentione illius, quæ jam
 in rem iudicatam transiit, vel contra mi-
 norem stantem in iudicio sine Curatore,
 Procuratorem sine mandato &c. aut con-
 tinens expressè notorium juris errorem,
 v. g. quòd testamentum à minore 14 annis
 factum, aut electio à suspensis celebrata
 sint valida, eò quòd tunc directè Leges
 T offen-

offendantur, (secus, si juris error in sententia non exprimatur) quia facti solum quæstio Judicis arbitrio relinquitur; quæ autem sunt juris, legis auctoritati reservantur.

5. Dixi 2. *Pro Foro externo*, quia si sententia sit notoriè injusta, pars victrix cuius conscientiam ejus executionem petere non potest, quia præsumptio semper cedit veritati. Dixi 3. *Nec per remedium ordinarium*, quia nonnullis per sententiam læsis subvenitur per Remedium extraordinarium Restitutionis in integrum, juxta dictam *L. 1. T. 41.* Imò juxta *Pirrh. b. t. n. 42.* etiam privatus ex clausula generali restituendus est propter instrumenta de novo exhibita, si probaverit, se antea exhibere non potuisse, aut dolo Adversarii vel Tertii factum esse, quominus ante latam Sententiam producerentur. 6. Dixi 4. *Regulariter*, quia sententia, cujus observantia nutrit peccatum, nunquam transit in judicatum, v. g. lata pro vel contra valorem matrimonii contracti, quæ compertâ veritate semper retractari debet, ut decernitur *C. 7. b. t.* Idem est de Sententia lata pro valore sponsalium, si postea constat reipsâ subesse impedimentum dirimens. Item si pars victrix fateatur sententiam pro se latam esse injustam, aut notorium

lit, esse latam ex falsis Documentis, retractari debet, quamvis dicat Pontifex C. 20. h. t. „ Quòd sub prætextu novorum Instrumentorum lites non debeant instaurari, v. g. si debitor jussus solvere creditori, ob apocham seu quietantiam solutionis factæ ex post repertam sententia rescindi non debet; posset tamen debitor ad repetendam rem solutam instituere novam litem, non per viam appellationis, sed per viam Querelæ.

7. Dixi 5. *Fecit jus inter partes*, non inter alios interesse habentes; nam C. 25. h. t. dicitur: „ Regulariter aliis non nocet res inter alios judicata. Subjungitur tamen duplex limitatio: Ei tamen, qui, cum sibi primum de ea re actio vel defensio competeat, sustinuit sequentem agere; ac illi etiam, qui passus est eum, à quo causam habuit, experiri, est præjudicium generatum. Unde sicut sententia lata super nullitate Testamenti contra hæredem scriptum, qui est persona principalis, præjudicat Legatario & cæteris, quorum causa à testamento pendet, ita eadem lata contra Legatarium sciente Hærede nocet Hæredi, si neuter legitime appellet; item lata contra Patronum nocet Præsentato; contra rei furtivæ venditorem præjudicat emptori &c. si transit

292 LIBER II. TITULUS XXVII.
in iudicatum. Hoc Tit. præter jam dicta
decernuntur sequentia:

8. I. *In Decret. c. 9.* „Cum aliqua causa
„ appell. rem. committitur, & sententia fer-
„ tur iniqua, eam evacuari oportet; nempe
„ per Superiorem, qui adiri potest, per mo-
„ dum querelæ vel appellationis, quæ tunc
„ operatur effectum devolutivum, licet non
„ suspensivum, ait *Gonz. C. 16.* „Cum in ple-
„ risque locis id moris existat, quod causæ,
„ quæ Judicem moverunt, non exprimantur
„ in Sententia proferenda, si constiterit
„ Sententiam à Judice competente fuisse
„ prolatam, propter auctoritatem judicia-
„ riam præsumi debet, omnia legitime
„ processisse. Et *C. 26.* Duobus Judicibus
„ diversas Sententias proferentibus, si ex
„ jurisdictione ordinaria processerunt, te-
„ net pro Reo, non pro Actore sententia,
„ nisi in causa favorabili (putà matrimo-
„ nio, dote seu testamento) pro Actore
„ fuerit promulgata; si verò ex delegata
„ potestate, utraq; pendet Sententia ex
„ arbitrio Delegantis; quòd si ex com-
„ promisso, neutra debet habere vigorem.

9. II. *In 6. c. 1.* „Si quis Judex Eccles.
„ ordinarius aut delegatus contra con-
„ scientiam & justitiam in gravamen alte-
„ rius partis in iudicio quidquam fecerit,
„ per gratiam vel per sordes, (i. e. *prece,*
„ *pre-*

„pretio, timore, vel odio corruptus) ab exe-
 „cutione officii per annum noverit se
 „suspensum, ac si durante suspensione se
 „ingesserit Divinis, irregularitate soli
 „Pontifici reservatâ se involvet. C. 4. Cùm
 „unus Arbitrorum vel Judicum aliis præ-
 „sentibus & mandantibus sententiam ex
 „scripto recitat, perinde est, ac si omnes si-
 „mul recitâssent, modò is, qui recitat, uti-
 „tur verbis numeri pluralis; licet secus in
 „electione servetur, quæ, ut apparet, unica
 „& communis est, ab uno vice omnium
 „per verba singularis numeri pronun-
 „tianda vel promulganda. C. 5. Etsi Sen-
 „tentia definitiva debeat ab ipso Judice ex
 „scripto recitari; Episcopo tamen, propter
 „Dignitatis prærogativam, sententiam fe-
 „rendam ad instar illustrium personarum
 „licebit per alium recitare. Sententia, quæ
 „non scripta editur; nec à Judice litigato-
 „ribus recitatur; vel quæ stando, non se-
 „dendo profertur, nullius est momenti.
 Verùm hæc spectant ad substantiam Ju-
 dicii ordinarii, non summarii.

io. III. In *Clement. c. 1. b. t.* „ Ut ca-
 „lumniis litigantium occurratur, is, qui
 „in beneficiâ vel alia causa tres contra se
 „in petitorio vel possessorio sententias re-
 „portavit, ad agendum de nullitate ipsa-
 „rum vel alicujus ex eis non admittitur,

„donec hujusmodi sententiæ plenariè fuerint executioni mandatæ; quo facto si probet nullitatem, sententia pronuntiabitur nulla, & executio revocabitur. C. 2.

„Sententia lata contra citatum extra citantis territorium existentem nulla est ipso jure. Ratio, quia Judex extra territorium non potest citare, sed requirere debet Judicem illius territorii, ut faciat illum citari, & ad se remittat. Vid. sup. Tit. 2. n. 3.

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus, Recusationibus & Relationibus.

Quia per hæc tria Sententia Judicis suspenditur, ac iniquitas vel imperitia Judicum sæpè corrigitur, de iis sub eadem rubrica hîc agitur.

I. APPELLATIO est ab inferiori Judice ad superiorem ratione gravaminis illati vel inferendi facta provocatio; quæ quoad substantiam est juris naturalis, (cum sit species quædam defensionis & innocentiae præsidium) quoad solemnitatem & modum est juris positivi. Differt à Revisione, quia, cum à sententia supremi Principis vel inferioris privilegiati v.g. Electoris S. R. I. vel Episcopi ex prorogatione

Juris

Jurisdictionis judicantis inter laicos circa causam civilem, appellare non liceat, equitate sic suadente ab eo peti potest re-
 visorium actorum, per quod suspenditur quidem executio sententiæ, uti per appellationem; ast prioribus actis nil novi inferi potest, & revisionem petens certam summam pecuniæ deponere debet, eam amissurus, si causam in revisione perdidit; recepturus, si ibidem obtinuerit; aliud est in appellatione, quæ insuper à Sententia definitiva bis fieri potest, Revisio tantum semel.

2. Appellatio est vel *Judicialis*, quæ fit ab actibus judicialibus, v. g. Sententia Judicis interlocutoria vel definitiva; habetque duplicem effectum, nempe *Suspensivum* Sententiæ Judicis, „ (nisi sit Sententia excommunicationis, quæ ut dicitur „ *C. 53. h. t.* executionem secum trahit) ejusque jurisdictionis, ut in ea causa, in qua appellatum est, nihil innovare possit; & *Devolutivum*, quatenus devolvit causam ab inferiori ad superiorem. Vel *Extra-judicialis*, quæ est provocatio ad superiorem ob gravamen, quod extra judicium ab aliquo infertur vel inferendum timeatur, v. g. in delatione Tutelæ à Judice, aut in electionibus &c. Verùm *C. 5. h. t.* dicitur: „ Canones etiam extra Judicium passim

» appellare permittunt, quæ non solent di-
 » ci appellationes, sed potius provoca-
 » tiones ad causam.

3. Post interpositam appellationem ap-
 pellans debet petere Apostolos, i. e. literas
 dimissorias, quas *Judex à quo* transmittit
Judici ad quem, in iis testando, Titium v.g.
 in tali causa à sua sententia appellâsse; sũnt
 que vel *Dimissorii*, si *Judex à quo* appella-
 tioni deferens testificetur de appellatione
 interposita, & à se admissa velut justa & ra-
 tionabili; vel *Reverentiales*, si *Judex* de-
 ferat appellationi, non ob injustitiam cau-
 sæ, de qua dubitatur, sed ob reverentiam
 Judicis superioris *ad quem*; vel *Refuta-*
torii, quos dat *Judex* non deferens appella-
 tioni cum expressione causæ, cur eam
 non admisit; per eos tamen appellan-
 tem à sua jurisdictione dimittit, nec ad
 executionem sententiæ procedere potest,
 priusquam Superior causam ad illum re-
 mittat, juxta *Cap. 5. in 6. h. t.* Secus, si *Ju-*
dex eam tanquam frustratoriam seu pro-
 telandæ tantum litis causâ, vel frivolam,
 seu ex futilibus causis interpositam reji-
 ciat; aut *Testimoniales*, quibus *Notarius*
 testatur coram se & testibus, non existen-
 te copiâ *Judicis*, appellatum esse, juxta
cap. fin. h. t. Verum hodie in variis tribu-
 nalibus, præsertim sæcularibus, petitio
 Apo.

Apostolorum non est in usu, sed sufficit, si publicatâ sententiâ illico stante pede appellet Procurator, & acta prioris instantiæ infra xxx. dies superiori Judici præsententur.

4. RECUSATIO est Judicis ordinarii vel delegati ex legitima causa, v. g. odii, vel amoris declinatio. Circa quam *c. 61. h. t.* statuit Pontifex: „Si quis allegaverit, se „Judicem habere suspectum, coram eo „causam justæ suspicionis assignet; & ipse „cum Adversario, vel si talem non ha- „beat, cum Judice Arbitros communiter „eligat, qui de suspicionis causa cogno- „scant; si nequiverint concordare, ad- „vocent Tertium, ut, quod duo ex ipsis „decreverint, robur obtineat. Causâ „verò suspicionis legitimâ coram ipsis „intra competentem terminum non pro- „batâ, Judex utatur jurisdictione; at „ipsâ probatâ legitime, de recusatoris „assensu personæ idoneæ committat ne- „gotium recusatus, vel ad Superiorem „transmittat.

5. RELATIO est Judicis inferioris de jure dubitantis ad Pontificem vel Principem transmissa consultatio, ut sciat, quid in judicando sequi debeat. De hac statuitur *C. 68. h. t.* „Juxta legitimas sanctiones, „quoties relaturum se Judex cuilibet pol-

„ licetur, illico litigatoribus apud acta con-
 „ sultationis exemplum edere tenetur; pu-
 „ tà si consulat Superiorem, non super nudo
 „ dubio juris, sed etiam super dubio articulo
 „ causæ ex actis excerpto, quia tunc par-
 „ tium interest nôsse, an ille articulus du-
 „ bius facti sit ritè formatus. Verùm in
 „ praxi hodie nunquam causæ privatorum
 „ ad Principem pro decisione referuntur,
 „ sed ipsi Judices causam perfectè examina-
 „ tam per sententiam definire debent. Præ-
 „ cipua h. Tit. Capita sunt;

6. 1. *In Decret. c. 3.* „ Quia remedium
 „ appellationis non ideo fuit inventum, ut
 „ alicui à Religionis & Ordinis observan-
 „ tia exorbitanti debeat in sua nequitia ex-
 „ hiberi patrocinium, mandat Pontifex
 „ Abbati B. ut, si quis subditorum appel-
 „ laverit, non ideo minùs eum juxta man-
 „ datum Regulæ & institutionem Ordinis
 „ corrigat & castiget. Ex quo à contrario
 „ sensu inferunt DD. si Prælati Regulares
 „ contra Constitutiones Ordinis subditos
 „ gravant, aut in puniendo modum exce-
 „ dant, licitum esse subditis appellare.

7. C. 5. „ Appellantibus à sententia an-
 „ nus indulgetur, aut ex necessaria & evi-
 „ denti causa biennium, nisi fortè Judex
 „ à quo juxta loci & temporis circumstan-
 „ tias præcisius tempus fuerit mode-

„ ratus

„ratus; infra quod, si appellans appella-
 „tionem non prosequatur, tenebit senten-
 „tia, & à causa sua cecidisse videtur, ne c
 „amplius super eodem negotio audietur
 „appellans. Itaque licet Judex à quo ne-
 „queat arctare fatalia à jure concessa ad ap-
 „pellandum, expressè tamen ipsi jura con-
 „cedunt, arctare fatalia ad prosequendam
 „appellationem; non verò ad litem finien-
 „dam, quia inferior nequit legem ponere
 „superiori Judici *ad quem*.

8. C. 6. „ Si quis in una causa appellave-
 „rit, & pendente appellatione de crimine
 „vel alia re conveniatur, & illam perferri
 „contingat ad Judicem, à quo in alio ne-
 „gotio appellavit, eum potest, si voluerit,
 „tanquam suspectum vitare. Ratio, quia
 „per appellationem Judex offensus dicitur,
 „eò quòd appellans ipsum vel iniquum, vel
 „imperitum dicat; quod tamen *Gonz.* re-
 „stringit ad Judicem delegatum, si Judex
 „ad quem pronuntiaverit: *Rectè appella-
 „tum, malè judicatum.*

9. C. 7. „ Si duobus litigantibus alter ad
 „Papam, alter super eodem negotio ad
 „proximum Judicem appellavit, eo taci-
 „to, quòd adversarius appellaverit ad
 „Papam, si hic legitimè citatus non venit,
 „aut parere contemnit, tenebit excom-
 „municatio, quam in eum tulerit pro con-
 „ratus

„ tumacia, nisi cognoverit Judex, eum ad
 „ audientiam Rom. Pontificis appellâsse.
 Ob hoc notant DD. quòd licèt in judiciis
 sæcularibus appellatio debeat fieri gra-
 datim, adeo ut omisso medio Judice non
 rectè appelletur immediatè ad Princi-
 pem; à quovis tamen inferiori Judice Ec-
 clesiastico posse immediatè appellari ad
 Papam.

10. C. 14. „ Si manifestum sit & noto-
 „ rium, aliquos injecisse manus violentas
 „ in Clericum, ipsique appellaverint, eo-
 „ rum appellationi non est deferendum;
 „ sed cum multa dicantur notoria, quæ
 „ non sunt, provideri debet, ne, quod du-
 „ bium est, pro notorio habeatur. Ex hoc
 sequitur generalis regula: *In notorijs non*
admittitur appellatio, v. g. ut dicitur *c. 61.*
b. t. „ Si appellantis excessus evidentiâ Rei
 „ vel ipsius confessione aut aliquo modo
 „ legitimo sit manifestus, cum appellatio-
 „ nis remedium non sit ad defensionem
 „ iniquitatis, sed præsidium innocentie
 „ institutum. Unde C. 22. ait Pontifex: Si
 „ Clerici post appellationem ad Sedem
 „ Apost. gravia & enormia committant
 „ ita publicè & manifestè, quòd alii gravi-
 „ ter scandalizentur, & decor Eccles. ho-
 „ nestatis deformetur; ac se, dum con-
 „ veniuntur, tuentur appellatione, eos

„ appellatio non debet in tanta nequitia
 „ & iniquitate tueri, quominus eorum ex-
 „ cessus Canonicâ censurâ puniatur.

„ II. C. 35. „ Non debet ad eos causa re-
 „ mitti, à quibus noscitur justè appellatum,
 „ nisi partes in hoc consentirent. C. 36. Si
 „ causa alicui fuerit delegata, qui consan-
 „ guineus sit illius, qui literas impetravit;
 „ aut in eodem negotio Advocati officio
 „ functus, aut ex alia justa causa suspectus,
 „ is poterit recusari, quamvis appell. rem.
 „ fuerit ei negotium delegatum. *Nec obstat,*
 „ quòd *c. 12. h. t.* dicatur: „ In causis Eccle-
 „ siasticis, ubi appellationis remedium tol-
 „ litur, recusationi non est deferendum.
 „ Nam ut Jura Juribus concordentur, ait
 „ *Pirrh. h. t. n. 266.* solùm h. textu innuitur,
 „ quòd, sicut appellatio ob gravamen ab in-
 „ terlocutoria non admittitur, sine allega-
 „ tione justæ causæ, ita nec sine ea ob suspi-
 „ cionem admittatur recusatio Judicis,
 „ quanquam admittatur appellatio sine al-
 „ legatione causæ à Definitiva.

„ 12. C. 43. „ Secundùm Jus Canonicum
 „ & legale ab executoribus meris appellari
 „ non potest, nisi fortè modum excederent
 „ exequendo, quia non proprio motu,
 „ sed Judicis potiùs præcepto procedunt.
 „ Potest tamen appellari ab Executoribus
 „ mixtis, quibus simul delegatur cognitio
 „ causæ.

causæ

362 LIBER II. TITULUS XXVIII.
causæ; aut etiam ab executione, non quan-
do fit, sed postquam facta est, ait Gonz.
ad h. c.

13. C. 60. „Cùm cessante causâ cesser
„ effectus, si Judex aliquid interloquendo
„ protulerit, quo litigans gravaretur, &
„ sano usus consilio ab interlocutionis ef-
„ fectu destiterit, liberè in causæ cognitio-
„ ne procedat, non obstante, si ab inter-
„ locutione fuerit appellatum. Unde Judex
potest revocare interlocutoriam, non de-
finitivam. Denique C. 72. „ Unâ sententiâ
„ pluribus condemnatis, si unus solus ad
„ appellationis beneficium convolaverit,
„ illius victoria jure communi cæteris suf-
„ fragatur, si communi jure juventur,
„ idémque negotium & eadem causa de-
„ fensionis existat.

14. II. *In 6. c. 1.* statuit Pontifex: „ Ut
„ si quis quocúmque modo super inter-
„ locutoria vel gravamine ad Pontificem
„ appellet, causam appellationis in scriptis
„ assignet, ac petat Apostolos, in quibus
„ causa appellationis exprimatur, & cur
„ non sit admissa, vel utrum ex reverentia
„ ei sit delatum. Et C. 4. Ut is, qui appel-
„ lat, intra triginta dies instanter Apосто-
„ los petat, eósque intra dictum tempus
„ Judex illi exhibeat; secus, præsumitur
„ appellans appellationi renuntiare. Si
„ verò

„verò Judex cum debita instantia, loco
 „& tempore congruo requisitus eos ex-
 „presse deneget, vel infra præmissum
 „tempus malitiosè aut negligenter trade-
 „re prætermittat, ex tunc, si in causa pro-
 „cedat, ejus processus sit invalidus.

15. III. *In Clement. C. 2.* „Quamvis de
 „rigore juris oporteat appellansem pete-
 „re Apostolos congruo loco & tempore,
 „sæpius & instanter, sufficit tamen eos
 „semel uno contextu instanter & sæpius
 „postulari, v. g. unâ vice dicendo: *Peto*
Apostolos instanter, instantiùs, instantissi-
mè. „Si autem Judex ad recipiendos Apo-
 „stolos terminum assignet, & appellans
 „in illo non compareat, neque Apostolos
 „petat, appellationi renuntiâsse videtur.
 „Quòd si Judex in præfixo termino ipsos
 „petenti non dederit, aut infra terminum
 „juris non exhibuerit, appellationem
 „suam appellans ex tunc prosequi potest,
 „perinde ac si appellanti fuissent expressè
 „denegati.

16. Pro fine observa, quamvis leges
 sæculares appellationem ante sententiam
 definitivam non admittant, sacri tamen
 Canones, ut dicitur *c. 12. in Decret. h. t.*
 „& ante & post litem contestatam, & in
 „prolacione sententiæ, & post sententiam
 „tribuunt appellandi facultatem. Nihilo-

ominus

304 LIBER II. TITULUS XXIX.
minus jure novo *Tridentini sess. 24. c. 20.*
statuitur: „Causæ omnes ad forum Ec-
„clesiasticum pertinentes, etiam benefi-
„ciales, in prima instantia coram Ordi-
„nariis locorum cognoscantur, atque
„omnino saltem infra biennium à die mo-
„tæ litis terminentur, alioquin post id
„spatium liberum sit partibus vel alteri
„illarum Judices superiores adire: neque
„appellationes ab iisdem interpositæ re-
„cipiantur, nisi à definitiva vel à defini-
„tivæ vim habente, & cujus gravamen
„per appellationem à definitiva reparari
„nequeat, v. g. incarcerationio, tortura,
„excommunicatio, quæ trahit post se exe-
„cutionem, &c.

TITULUS XXIX.

De Clericis peregrinantibus.

I. Cùm *C. 52. Tit. præc.* dicat Pontifex:
„Quia plus est ad Sedem Apost. facto
„provocare quàm verbo, Excommuni-
„catio post iter arreptum lata non tenet;
„adeoque talis peregrinatio habet vim &
„effectum appellationis, etiam non petitis
„Apostolis, modò fiat intra decendium à die
„latæ sententiæ vel illati gravaminis, mo-
„nito desuper à peregrinante per se vel per
„nuntium Judice, ideo subjicitur præsens
„titulus, in quo

2. C. un. „Cum Presbyter J. iter Romam arripuit, quidam res ejus diripere præsumpserunt, quia eas sub protectione Sedis Apost. non posuerat, mandat nihilominus Pontifex: Cum hi, qui accedunt ad præsentiam Papæ, una cum rebus suis debeant esse sub protectione Apost. securi, ut quidquid eidem post iter arreptum est subtractum, restituatur. Ex quo inferunt DD. quia ratio Constitutionis est generalis, quòd non solum ad Clericos, sed etiam ad laicos Romipetas spectet, ut siue causâ devotionis, vel appellationis, aut aliâ Romam petant, durante ipsâ absentia nec in - nec extra iudicium molestari possint. Posset tamen Ordinarius, si Clericus peregrinans neglexerit, ex fructibus Beneficii substitutione onerum providere.

3. Verùm C. 9. Tit. præc. in Decret. statuitur: „Cum aliquam causam contingit appell. rem. committi, & adversa pars post citationem iter arripuit ad Sedem Apost. non minus poterit Judex in negotio juxta juris formam procedere; quòd si ante citationem iter arripuerit, non est aliquatenus procedendum; uti nec juxta c. 30. Tit. præc. in casu, quo quis afferit, se pro causa controversa nuntium ad Sedem Apost. destinasse. Ratio, quia

quia per citationem est præventus, adeoque per se vel per Responsalem juri stare tenetur. Videtur tamen arreptio itineris post citationem posse habere vim recusatationis Judicis.

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili vel inutili.

I. CONFIRMATIO est juris prius habiti seu quæsitæ, v. g. per Electionem, contractum, transactionem, privilegium, sententiam, aliūve actum à legitimo Superiore facta corroboratio; potestque fieri vel in *forma communi*, quando Superior nullâ præcedente causæ cognitione actum ab inferiore gestum confirmat in eo statu in quo antea fuit; vel in *forma speciali* seu specifica, quando fit cum perfecta actus notitia, pensatis circumstantiis, v. g. si Rescripto confirmatorio tenor totius instrumenti vel dispositionis inseratur, aut clausula: *Ex certa scientia; ex plenitudine potestatis; suppletis omnem defectum juris si fortè intervenerit*; vel: *Non obstantibus quacunque lege aut consuetudine in contrarium*, & similes.

2. Porro licet utraque in eo conveniat quòd, si sit *Utilis* seu valida, i. e. ad veram narrata sit concessa, per utramque cor-

roboretur actus; in eo tamen differunt, quòd prior seu in forma communi tantum jus vetus seu actum validum confirmet; nec actum de se invalidum roboret, sed in sua nullitate relinquat: Posterior autem seu in forma speciali novum jus tribuat actui, & sæpè ex invalido faciat validum supplendo defectus, quia æquivalet novæ concessioni. Hinc si Privilegia alicui Ordini olim concessa, & postea per Papam vel Trident, revocata, nunc iterum confirmentur in forma communi, per hoc non reviviscunt; secus, si denuo confirmentur in forma speciali, v. g. cum clausula: *Non obstante eorum revocatione.* Dixi: *Si sit utilis*; quia si sit *Inutilis*, i. e. sub-vel obreptitiè obtenta, narrato scilicet falso, aut suppressio vero, quod de jure erat exprimendum, v. g. tacito, quòd res sit litigiosa; quòd sit in præjudicium Tertii, cui jus quæsitum; quòd sit Religiosus, pro quo petitur, juxta *c. 1. 6. & ult. b. t.* nihil operatur.

3. *C. 1. b. t.* decernitur: „Si quis rei litigiosæ confirmationem impetravit ab Apostolica Sede, non minus potest Judex de causa cognoscere, & eam fine debito terminare; sed si rem pacificè possidebat, & inde confirmationem obtinuit, non est tutum aut licitum Judici

„de quaestione suborta sine mandato
 „Rom. Pontificis decernere, aut eam de-
 „finire. Item C. 2. Contra Confirmatio-
 „nes Rom. Pontificis, nisi novum Apolt
 „Sedis mandatum procedat, aut certum
 „sit, quòd ipsæ confirmationes per falsam
 „sint suggestionem obtentæ, non est ali-
 „quatenus judicandum.

4. Unde effectus confirmationis sal-
 tem in forma speciali est, quòd impediatur
 ne inferior cognoscere valeat de causa
 confirmata. *An verò idem operetur con-
 firmatio in forma communi?* Aliqui ne-
 gant, eò quòd nihil juris de novo tribuat,
 uti nec innovatio materialis privilegio-
 rum vel instrumentorum, per vetustatem
 quasi consumptorum, auctoritate Super-
 prioris facta, quæ solum deservit ad faci-
 liorem rei probationem. Alii communius
 affirmant, eò quòd h. t. id indistinctè sta-
 tuatur; ac quoties Superior manum ap-
 ponit in aliqua causa, censeatur eam ad
 se avocare, & Imp. dicat: *Omnia nostra
 facimus, quibus auctoritatem nostram im-
 partimur*; denique quia aliàs nihil ope-
 raretur, cum actus per eam nullum ro-
 bur acciperet.

5. Nihilominus Judex inferior potest
 cognoscere & contra confirmationes
 Apostolicas decernere incidenter & ac-